46.

485.

DE
EUPOLIDIS ADULATORIBUS

SCRIPSIT

JOACHIMUS TÖPPEL

ROSTOCHIENSIS.

COMMENTATIO

DE SENTENTIA DECANORUM

ACADEMIAE ROSTOCHIENSIS

MAXIME SPECTABILIUM

PRIDIE CAL. MART. A. MDCCCXLV

PRAEMIO ORNATA.

ACCEDUNT F. V. FRITZSCHI EMENDATIONES.

PROSTAT LIPSIAE

APUD HERM. FRITZSCHIUM.

MDCCCXLVI.

Κατὰ μικρὸν περιφρόνει τὰ πράγματα.

Aristophanes.

VIRO CLARISSIMO

FRANCISCO VOLCMARO FRITZSCHIO

ELOQUENTIAE AC POESIS PROFESSORI P. O.

ET SEMIN. PHILOL. DIRECTORI

PRAECEPTORI DILECTISSIMO

HAS STUDIORUM PRIMITIAS

PII ET GRATI ANIMI

TESTES

ESSE VOLUIT

SCRIPTOR.

Quam decani hujus academiae maxime spectabiles proposuerunt quaestionem, ut dissertationem historicam et criticam de comoediae Graecae fragmentis scribere placeret, eam hoc lubentius pertractandam suscepi, quo major familiaritas mihi intercessit cum Aristophane, ex quo, si non omnibus, at magnae fragmentorum parti optima potest afferri medela. In hujus enim poetae lectione, praefiscine dixerim, jam dudum summa cum voluptate versatus sum omnesque ejus fabulas pervolutavi, in quibus ingenium ac mores ingeniosissimi totius antiquitatis populi, interdum fucato illo quidem colore, ita tamen fucato, ut facile verum intelligere queas, descri-

ptos invenimus. Neque vero, quum de fragmentis disserere inciperem, eram immemor Brunckiani dicti: „Nihil esse difficilius quam fragmenta emendare;“ neque me fugit, pugnandum esse cum summis difficultatibus, quibus fragmenta comoediae Graecae premuntur. Attamen his ipsis studiis vix quidquam jucundius dici aut cogitari posse arbitror. Quid enim animum magis oblectare atque incitare potest, quam si quis iis rebus, quae summis fere tenebris involutae jacent ac prope conclamatae videntur, si non ubique, at aliquando tamen insperatam afferat lucem, easque ita explanet, ut ab omnibus facili negotio possint perspici? Multa sane fragmenta nacta sunt viros doctissimos eosdemque ingenii acumine excellentissimos, ita ut his paucis annis ad eum perspicuitatis gradum adducta sint, ad quam ea unquam perventura esse vix potuit sperari. Veruntamen locorum, qui medicinam efflagitant, tanta est copia, ut nunc quoque quasi in largissimam messem venisse tibi videaris.

Placuit autem primum Eupolideae fabulae fragmenta, cui inscriptum erat „*Κόλακες*,“ tum etiam Aristophanis „*Ταγηνιστάς*“ tractare, inter quas mira intercessisse videtur similitudo. Ac saepenumero secutus sum palma-

riam illam fragmentorum collectionem Aug. Meinekii „Fragmenta Comicorum Graecorum, Voll. 4 Berolini 1839—41," cujus voluminis secundi particula ultima, quae Aristophanis fragmenta comprehendit, debetur genero ejus Theod. Bergkio. Hoc igitur Meinekii libro quasi fundamento nixus opusculum meum ad finem perduxi.

Attamen magnam hujus opusculi partem, quod non tam perficiundi spe, quam experiundi voluntate scribere aggressus sum, Tibi, Vir Clarissime, tribuendam esse certe scio, qui non solum in scholis viam ac rationem, qua fragmenta comicorum tractanda sint, mihi ostenderis, sed etiam amicissime indicaveris, quae in enucleandis iis versaturo operamque navaturo sint necessaria subsidia. Quumque doctissimorum judicum suffragiis hic libellus, qui praemio ornaretur et in lucem prodiret, dignus habitùs esset, Tu eum sub incudem iterum revocanti mihi facem praetulisti, promptoque animo ad litterariam Tuam supellectilem aditum concessisti, quibus beneficiis valde me obstrictum sentio.

Cui igitur potius, quam Tibi, Praeceptor Dilectissime, qui hisce litteris me non sine magno labore imbuisti, hoc studiorum meorum specimen qualecunque consecrem,

in quo si quid erravero, quod vereor ne crebrius acciderit, peto a Te, ut juvenem me esse memineris, semperque cogites, omnibus iis rebus me fuisse perturbatum, quae tironis in publicum prodituri animum frangant atque debilitant. Vale etiam atque etiam.

Scribebam Rostochii Cal. Septbr. MDCCCXLV.

EUPOLIDIS ΚΟΛΑΚΕΣ.

Cap. I.

Eupolidis Adulatores ad optimas eius fabulas referendos esse, quibus magnam gloriam adeptus sit, et splendor fragmentorum, quae ex hac fabula supersunt, et frequens ejus mentio apud veteres scriptores, et atticorum judicum sententiae dilucide declarant. Nam quum Aristophanes quatuor paullo ante in scenam commissis fabulis, Acharnensibus, Equitibus, Proagone et Vespis (Ol. LXXXVIII, 3 et 4, et Ol. LXXXIX, 2) victoriam reportasset: tamen Pax ejusdem poetae comoedia huic jocosissimae fabulae postposita est. Testimonio est didascalia Pacis: *Ἐνίκησε δὲ τῷ δράματι ὁ ποιητὴς ἐπὶ ἄρχοντος Ἀλκαίου ἐν ἄστει. πρῶτος Εὔπολις Κόλαξι, δεύτερος Ἀριστοφάνης Εἰρήνῃ, τρίτος Λεύκων Φράτερσι.* Cf. Athenaeum V p. 218, b. Archonte igitur Alcaeo (de quo cf. Thucyd. V, 19; Diod. Sicul. XII, 73) Liberalibus urbanis Ol. LXXXIX, 3 nostra fabula edita est. Nam Lucae opinio, qui in dissert. „Cratinus et Eupolis" p. 8 „Pytinen, inquit, docuit anno primo Olympiadis octogesimae nonae; quatuor annis post (Ol. XC, 1) Aristophanis Pax in scenam prolata est," jam dudum est explosa.

De argumento nostrae fabulae et veteres scriptores et fragmenta ipsa hoc certe nos docent, divitem quendam Atheniensem Calliam perstrictum esse, qui immensas divitias a patre relictas adulatoribus et scortis deditus effuderit, eoque lapsu temporis ad summam rerum penuriam redactus sit.

Quamvis autem multi viri docti, quos attulit Meinekius hist. crit. p. 131, de nobili illa familia, ex qua hic Callias oriundus erat, disputarint, tamen ab hoc loco non erit alienum, si pauca, quae cum fabulae nostrae reliquiis arctius cohaerent, attulero. Constat igitur, in hac familia, quae originem a Triptolemo duxisse et jure hereditatis dignitatem daduchi in mysteriis Eleusiniis tenuisse perhibetur (Xenoph. Hellen. VI, 3, 3 et 6; Andocid. de Myst. p. 124, 7 Bekk.), quaeque ingentes opes collegerat, Hipponicos et Callias per vices sibi successisse, quo alludit Aristophanes in Avibus v. 283

Ἱππόνικος Καλλίου κἀξ Ἱππονίκου Καλλίας.

Calliae Eupolidei pater Hipponicus duos habuit filios Calliam et Hermogenem, et filiam Hippareten. De Plutarchi loco Pericl. c. 24, qui Hipponici uxorem postea Pericli nupsisse ac partu Xanthippum et Paralum edidisse perhibet, inspicias J. Wiggers „de Corn. Nep. Alcibiade Quaest." p. 52 sq. Hic Hipponicus, qui genere et opibus inter Athenienses excelluit (Plut. Alcib. c. 8), quum bona in aedibus suis non satis tuta censeret, ab Atheniensibus petiit, ut sibi liceret domum in acropoli aedificare, in qua ea reconderet; venia autem impetrata suasu amicorum ab incepto destitit (Cf. Heraclid. Pont. ap. Athen. XII p. 537, b). Ol. LXXXVIII, 2 una cum Nicia et Eurymedonte vicit Tanagraeos et Boeotios, qui auxilio venerant (Thucyd. III, 91; Athen. V p. 218, b). Neque omittenda sunt, quae Plutarchus Alcibiad. c. 8 memoriae prodidit, Alcibiadem aliquando Hipponico colaphum inflixisse, hunc autem postea rursus in gratiam cum eo redisse. His subjungit Plutarchus: ὁ δὲ συνέγνω καὶ τὴν ὀργὴν ἀφῆκεν· ὕστερον δὲ καὶ τῆς θυγατρὸς Ἱππαρέτης ἐποιήσατο νυμφίον. Ἔνιοι δέ φασιν, οὐχ Ἱππόνικον, ἀλλὰ Καλλίαν τὸν υἱὸν αὐτοῦ δοῦναι τῷ Ἀλκιβιάδῃ τὴν Ἱππαρέτην ἐπὶ δέκα ταλάντοις. Atque huic alteri opinioni fidem habendam esse dicit Meinekius l. l., secutus Dodwelli doctam disputationem in Annal. Thucyd. Tom. II p. 691 Bekk., qui Alcibiadem Hippareten Ol. XCI in matrimonium

duxisse docuit, quo tempore Hipponicus jam mortuus erat, testante Andocide in orat. contra Alcibiad. p. 13, 6 Bekk., qui illum in proelio ad Delium, quod Ol. LXXXIX, 1 commissum est, interisse narrat. Cum Andocide quodammodo consentit Athenaeus V p. 218, b: *τέθνηκε δὲ (ὁ Ἱππόνικος) πρὸ τῆς ἐπ' Ἀλκαίου διδασκαλίας τῶν Εὐπόλιδος Κολάκων οὐ πολλῷ χρόνῳ κατὰ τὸ εἰκός.*

Quae si vera sunt, mire videntur dicta, quae legimus de Alcibiade apud Corn. Nepot. initio c. II „Socerum habuit Hipponicum, omnium Graeca lingua loquentium ditissimum." Immo nunquam habuit socerum, si Dodwellium et Meinekium sequimur, nisi Nepotis verba interpretari malis de illo tempore, quo Hipponicus filiam Alcibiadi desponderat, quod fortasse paullo post acceptam illam offensionem factum est. Sed hac de re alii viderint; equidem nunc me vertam ad Calliam ipsum. Attamen, ne indocte repetam, quae Meinekius l. l. summa cum diligentia collegit, extremis tantum lineamentis vitam ejus describam.

Callias, Hipponici filius, ex Melitensium pago (schol. Arist. Ran. v. 504; schol. ad Lucian. Jov. Trag. p. 697 ed. Reitz.) post mortem ejus heres fuit bonorum patris, non item virtutum. Tantum enim aberat, ut patris vestigia persequeretur, qui vitam egerat honestam, ut libidinibus cujusque generis indulgeret, divitiasque, quas pater non sine summa parsimonia accumularat, cum sophistis, adulatoribus et meretricibus, quibuscum illi erat domesticus usus et consuetudo, abliguriret. Facetissime Aristophanes describit ejus profusionem vitamque flagitiosam tum in Avibus v. 284 sqq.

Καλλίας ἄρ' οὗτος οὕρνις ἐστίν· ὡς πτερορρυεῖ.
Ἔποψ.
ἅτε γὰρ ὢν γενναῖος ὑπὸ τῶν συκοφαντῶν τίλλεται,
αἵ τε θήλειαι προσεκτίλλουσιν αὐτοῦ τὰ πτερά.

tum etiam in Ranis v. 428 sqq.

καὶ Καλλίαν γέ φασι
τοῦτον τὸν Ἱπποβίνου
κύσθῳ λεοντῆν ναυμαχεῖν ἐνημμένον,

ubi *κύσθῳ* egregie emendavit Fritzschius pro *κύσθου* in edit. Ran. Turici 1845 pag. 199. De loco ipso facio scholiastam loquentem: *Παρεγραμμάτισε διὰ τὴν ἀσέλγειαν παρὰ τὸ Ἱππονίκου εἰς πορνομανῆ. τὸ δὲ ἵππος πολλαχοῦ ἐπὶ τοῦ μεγάλου λαμβάνουσιν· ἱππόπορνε. κωμῳδεῖται δὲ καὶ ὁ Καλλίας ὡς σπαθῶν τὴν πατρικὴν οὐσίαν, καὶ μάλιστα ἐπὶ γυναιξὶ μεμηνώς.*

Bernardus Thierschius in editione sua Ran. p. 92 longe a verro aberravit, qui illis verbis Calliam archontem ejusdem anni, quo Ranae datae sunt, notari putat. „Castigavit igitur, inquit, Calliam archontem, qui inter primos in theatro sedebat, ut patet ex pronomine *τοῦτον*, quod *δεικτικῶς* sumendum.“ Huic autem opinioni plane repugnat lex Attica, qua cautum erat, ne quis in comoedia laederet atque ludos faceret archontem eponymum. Conf. schol. ad Arist. Nub. v. 31 et ad Ran. v. 504. Immo *τοῦτον* cum contemptu est dictum, ut poeta significet notum illum Calliam, qui in ore omnium versabatur. Recte schol. *τοῦτον: ὃν πάντες ἴσασι δηλονότι.*

Atque hic paucis absolvam de Genellii errore, qui deceptus fortasse schol. ad Ran. v. 428 in libro suo de theatro Athen. conjecit, Ranarum fabulam scriptam esse ad sugillandum nostrum Calliam sub Bacchi persona. At quid absurdius fingere potuisset Aristophanes? *Τί κοινὸν κυνὶ καὶ βαλανείῳ;* Callias enim meretricem quandam potius, quam tragicum poetam ut reduceret, in Orcum descendere debuisset.

Redeo ad Aristophanem, qui hujus Calliae mentionem fecit etiam in Eccles. v. 809, ubi pauperem chorodidascalum Callimachum plura bona in commune allaturum dicit, quam Calliam; quo loco edocemur, Ol. XCVI, 4 omnes ejus opes jam dilapidatas esse. Praeterea in Pluto poeta ob oculos habuit homines Calliae simillimos v. 242 sqq., ubi Plutus sic loquitur:

ἢ δ' ὡς παραπλῆγ' ἄνθρωπον εἰσελθὼν τύχω,
πόρναισι καὶ κύβοισι παραβεβλημένος
γυμνὸς θύραζ' ἐξέπεσον ἐν ἀκαρεῖ χρόνῳ.

Quum igitur tam male moratus esset Callias, quem paullo ante paterna bona adisse patet ex Athen. V p. 218, b, Eupolis, acerrimus ille aevi sui castigator, in Calliam potissimum scripsit fabulam „Κόλακας" eumque conviciis dictisque perstrinxit salsissimis populo plaudente. Nam Eupolidis Adulatores in Callia exagitando potissimum versatam esse docent Athenaeus XI p. 506, f et schol. ad Aves v. 284.

Totius fabulae oeconomiam, qualis fuerit, accurate describere vix cuiquam continget. Attamen e paucis fragmentis conjicere licet, poetam rem sic instituisse, ut initio Calliam in summa omnium rerum abundantia versantem, magno adulatorum et meretricum examine circumfusum induceret, postea autem adulatorum insatiabili fame atque rapinis maximeque ipsius nefariis libidinibus fingeret eo redactum, ut in extrema fabula omnia ad assem perderet. Nempe Eupolis facile praeviderat, Calliam, qui semet ipse perditum iret, nisi brevi ad meliorem frugem redisset, mox divitiis suis cum dedecore effusis futurum esse miserrimum. Neque vero poeta disertius ei suadere potuit, ut vitam mutaret, adulatores ac meretrices ex aedibus ejiceret atque divitiis modice uti inciperet, quam si totam fabulam in eum scripsisset. At vero Eupolis surdo fabulam narravit. Etenim Calliam minime vitia sua deposuisse vita ejus extrema satis demonstrat, quem in summa rerum penuria mortuum esse scriptores veteres magno consensu tradiderunt.

Praeterea Eupolis in hac fabula illud studuit, ut nefariam hominum pestem castigaret naviterque irrideret, adulatores, qui divitum mensis inhiando et corrumpendo juvenes victum sibi quaerebant, quorum illis temporibus Athenis magnam copiam fuisse constat. Scilicet parasitos Calliae ab Eupolide item derisos esse quum alii ostendunt, tum Philostratus V. Soph. II, 25, quo loco utuntur Hemsterhusius ad Luciani Timonem c. 12 et Lobeckius in Aglaophamo p. 1024. Nam hos nebulones Calliam magis etiam corrupisse magnamque ejus bonorum partem comedisse abunde testantur scriptores.

Cave tamen credas, summam fabulae in eo positam fuisse,

ut adulatores irriderentur, quem errorem jam refutavit C. Odofredus Müller „Geschichte der griech. Liter." Bd. II p. 263: „Im Attischen Drama, inquit, des Eupolis traten die Schmarotzer des reichen Callias als κόλακες auf; aber schon daß sie den Chor bildeten, machte es unmöglich, daß sie der eigentliche Gegenstand der komischen Satyre gewesen wären. Erst Alexis von der mittlern Komödie brachte den Parasiten (unter diesem Namen) auf die Bühne." Cf. Meinekium hist. crit. p. 377 sq.

Quum autem certum sit chorum huius fabulae ex adulatoribus ipsis constitisse, apparet, poetam comoediae suae chori nomen imposuisse, sicuti pleraeque fabulae a choro nomen acceperunt.

Ceterum „Eupolidis adulatores" nomen fabulae est vulgo receptum, pro quo potius dicendum fuisse „Eupolidis parasiti" ex Athenaeo VI p. 236, e et Phrynicho in Ecloga p. 139 ed. Lob. intelligitur. Denique mediae ac novae comoediae scriptores plerumque parasitum aliquem in scenam produxerunt. Hi tamen non magnopere ab Eupolidis exemplo pendere videntur, quippe qui non unum parasitum, sed totum chorum parasitorum prodire voluerit. Ingenium vero parasitorum, fortassis etiam vestimentum multo ante Eupolidis tempora descripserat jam Epicharmus.

Scholiasta Rav. ad Arist. Lysistr. v. 1189 ἀποκοπή ἐστι τοῦ ἄλλου χοροῦ, ὡς παρ' Εὐπόλιδι ἐν Κόλαξι. Quae sic intelligenda sunt, esse hanc abscissam partem (ein abgerissenes Stück) prioris chori, strophae scilicet, quae legitur v. 1043—1071. Docuit autem Fritzschius ad Ranas v. 718 antistrophos, quibus post aliquantum intervalli strophae argumentum continuetur, haud raro a particulis ἀλλὰ vel δὲ incipere. Sic haec ipsa in Lysistr. v. 1189 antistrophus, quae in strophae argumento pergit, inchoatur verbis Στρωμάτων δὲ —. Itaque in Eupolidis Adulatoribus antistrophus quaedam legebatur, quae continuato strophae argumento haud procul initio δὲ particulam haberet. Atque id animadvertit etiam R. Enger ad Lysistr. v. 1189, qui tamen falso dicit, fortassis etiam responsionem antistrophicam

horum carminum similem fuisse. Falso autem Meinekius ex hoc scholio collegit, chorum in Adulatoribus duplicem fuisse.

Sane in Lysistrata duplex chorus exstat, *Χορὸς γερόντων* et *Χορὸς γυναικῶν*. At recte Enger statuit, senum mulierumque chorum jam in unum conjungi, ut e v. 1042 intelligitur. Illud Engerum quoque fugit, strophas utrobique senum hemichorium cecinisse, antistrophos autem mulierum, id quod e v. 1058 apparet, quo loco minime senes, sed mulieres Carystios, notissimos moechos, ad coenam invitant.

Cap. II.

Venio nunc ad gravissimam hujus quaestionis partem, ad fragmenta ipsa, ex quibus, licet haud ita multa aetatem tulerint, et pleraque vel mutilata sint vel vitiis contaminata, tamen, quasi ex ungue leonem, praestantiam hujus fabulae cognoscere licet. Atque ut Leuconis fabulam taceam, quae tribus fragmentis exceptis tota periit, res ipsa mirari nos vetat, quod Aristophanis Pax judicum atticorum sententiis nostrae fabulae posthabita est. Unusquisque enim, qui Pacem diligenter pertractaverit, mihi concedet, eam inter mediocres Aristophanis fabulas referendam esse, eaque saepius justam cavillandi occasionem datam poetis aequalibus, quum tali argumento phantasmatis pleno vix quidquam frigidius languidiusque excogitari potuisse videatur. Egregie de Pacis fabula judicavit acutissimus ille antiquitatis investigator C. Odofredus Müller „Gesch. der griech. Lit." Bd. II p. 239 sq. Adde G. H. Bodium „Gesch. der hellen. Dichtkunst" III. II. p. 337 sq., qui inprimis postremam fabulae partem merito reprehendit.

Nunc eo, unde huc digressa est, oratio redeat. Nam quum de ordine, quo fragmenta hujus fabulae sese invicem exceperint, vix quidquam certi statui posse arbitrer, ea, quae ad chorum spectant, primum pertractabo. Exordiar autem ab Hephaestione XIII p. 73, qui de paeonico tetrametro disserens: *κέχρηται δὲ αὐτῷ*, inquit, *καὶ ἐν ἄλλοις δράμασιν ὁ Ἀριστοφάνης καὶ ἐν Σφηξὶν* (v. 1275—82; 1284—90)*) *καὶ Εὔπολις ἐν Κόλαξι·*

*) Bergkii comment. p. 417 errorem, qui in illo Vesparum loco creticos tetrametros sibi invenisse videtur, ubi purissimos habes paeones, nihil attinet refutare.

Φημὶ δὲ βροτοῖσι πολὺ πλεῖστα παρέχειν ἐγὼ καὶ πολὺ μέγιστ' ἀγαθά. ταῦτα δ' ἀποδείξομεν.

De hoc metri genere vid. Herm. Elem. doctr. metr. p. 508 et Fritzch. ad Thesm. p. 621 sq. Eupolidis locum e posteriore parabasi petitum esse bene conjecit l. l. Bergkius. Tum Meinekius chorum haec de semet ipso praedicare suspicatur. At adulatores non emolumentum, sed damnum ac pestem hominibus inferunt. Contra Bergkius de se ipso haec ab Eupolide dicta esse vidit, frustra tamen conjiciens *ἀποδείξομαι.* Ac primum e poetae animo chorus loquitur in hoc ipso metri genere in Vespis v. 1284 sqq. Chorus autem ubique, etiam ubi poetae sui internuntius est, modo plurali numero utitur, modo singulari (Acharn. v. 311 sq.; Eurip. Cycl. v. 212 sq., v. 465 et alibi sexcenties). Denique Aristophanis chorus in parabasi saepe poetae sui merita praedicat, cujusmodi locos Bergkius l. l. collegit. Neque oratores tali vanitate abstinuisse documento est inprimis Isocrates, ut in Archidamo cap. 4. *'Εν γὰρ τῷ παρόντι διὰ τούτων ἐλπίζω μεγίστων ἀγαθῶν αἴτιος ἂν γενέσθαι τῇ πόλει.*

II.

Omnium gravissimum fragmentum exstat apud Athen. VI p. 236, e: *Οἱ δ' ἀρχαῖοι ποιηταὶ τοὺς παρασίτους κόλακας ἐκάλουν, ἀφ' ὧν καὶ Εὔπολις τῷ δράματι τὴν ἐπιγραφὴν ἐποιήσατο, τὸν χορὸν τῶν Κολάκων ποιήσας τάδε λέγοντα·*

'Αλλὰ δίαιταν ἣν ἔχουσ' οἱ κόλακες πρὸς ὑμᾶς
λέξομεν· ἀλλ' ἀκούσαθ' ὡς ἐσμὲν ἅπαντα κομψοὶ
ἄνδρες· ὅτοισι πρῶτα μὲν παῖς ἀκόλουθός ἐστιν
ἀλλότριος τὰ πολλά, μικρὸν δέ τι κἀμὸν αὐτοῦ.
ἱματίω δέ μοι δύ' ἐστὸν χαρίεντε τούτω,
οἷν μεταλαμβάνων ἀεὶ θάτερον ἐξελαύνω
εἰς ἀγοράν. ἐκεῖ δ' ἐπειδὰν κατίδω τιν' ἄνδρα
ἠλίθιον, πλουτοῦντα δ', εὐθὺς περὶ τοῦτόν εἰμι.
κἄν τι τύχῃ λέγων ὁ πλούταξ, πάνυ τοῦτ' ἐπαινῶ
καὶ καταπλήττομαι δοκῶν τοῖσι λόγοισι χαίρειν.

εἶτ' ἐπὶ δεῖπνον ἐρχόμεσθ' ἄλλυδις ἄλλος ἡμῶν
μᾶζαν ἐπ' ἀλλόφυλον, οὗ δεῖ χαρίεντα πολλὰ
τὸν κόλακ' εὐθέως λέγειν, ἢ φέρεται θύραζε.
οἶδα δ' Ἀκέστορ' αὐτὸ τὸν στιγματίαν παθόντα·
σκῶμμα γὰρ εἴπ' ἀσελγές, εἶτ' αὐτὸν ὁ παῖς θύραζε
ἐξαγαγὼν ἔχοντα κλοιὸν παρέδωκεν Οἰνεῖ.

De metro primum recte judicavit Hugo Grotius Excerpt. p. 501, quem caeteri viri docti secuti sunt. De metro Anacreonteo sive tetrametro choriambico hujus chori disputarunt Hermannus de metr. p. 389 et Elem. doctr. metr. p. 585 atque Fritzschius ad Thesm. p. 403.

His versibus totum fabulae epirrhema contineri jam vidit Bergkius comment. p. 340. Chorus parasitorum de semet ipso loquitur, suaeque vitae consuetudinem exponit.

v. 1. Lectio ἔχουσιν in PVL metrum corrumpit. Quare Grotius et Hermannus receperunt ἔχουσ', ut exhibent A C. Pro πρὸς ἡμᾶς (L) reliqui libri recte πρὸς ὑμᾶς (int. τὸ θέατρον).

v. 2. Libri ἅπαντες κομψοί. Bergkius p. 352 verbis transpositis legere vult,

. . . . . . ὡς ἐσμὲν ἅπαντες ἄνδρες
κομψοί·

vel cum Grotio

. . . . . . κομψοὶ ἅπαντες ἐσμὲν
ἄνδρες·

Attamen et lectio ἅπαντες languet et hiatus in hoc metri genere ferri nequit, quem jam vituperavit Meinekius. Quamobrem Hermanni sequor rationem, qui correxit ἅπαντα (omni ex parte, omnibus in rebus). Cum hac conjectura Fritzschius comparat Vesp. v. 1102 sqq. ἡμᾶς εἰς ἅπανθ' εὑρήσετε — σφηξὶν ἐμφερεστάτους. πρῶτα μὲν γὰρ — εἶτα —.

v. 3. Libri τοῖσι. Praeclare Porsonus apud Gaisfordium ad Heph. p. 296 emendavit ὅτοισι, quae forma quum alibi tum in Equit. v. 758 invenitur. De discrimine vocum ἀκόλουθος et

ἀνδράποδον adeas interprett. ad Eccles. v. 593. De re conf. Lucian. De Parasit. c. 53.

v. 4. Locus corruptus, ad quem restituendum multi multa attulerunt. Libri enim μικρὸν δέ τι κάμον αὐτοῦ, quae omittunt C et epitome Hoeschelii. Hermannus ne litera quidem mutata correxit μικρὸν δέ τι κἀμὸν αὐτοῦ et vertit „servulum habeo plerumque alienum, in quo mihi non nisi paullum quid juris est,“ quam sententiam Lucas in dissertat. de Crat. et Eupol. p. 104 frustra refutare conatus est. Hanc conjecturam ita probat Fritzschius, ut τὰ πολλὰ significare patet „e maxima parte,“ conferatque Lucian. Necyomant. c. 8 et Ver. Hist. I, 6. Justo audacius Lucas conjecit, μικρὸν δὲ τελοῦμεν αὐτῷ. „Parasiti, inquit, inopia pressi, cum ipsi servum non habeant, alienum, qui divitum nomina et res bene noscit, mercede quidem conducunt, sed vilem tantum reddunt mercedem.“ Bergkii rationem, qui, probante Meinekio, Phrynichi loco nixus in Poastriis apud Priscian. XVII. T. II. p. 71 ed. Krehl. scribit κάμὸς αὐτοῦ, non perspicio.

v. 5 et v. 6. Libri τούτοιν, pro quo recte Hermannus, Bergkius et Meinekius Porsoni conjecturam τούτω· οἶν receperunt. Speciosius quam verius Lucas credibile esse negat parasitos duo pallia secum gestasse in scena, et distincte spectatoribus ostendisse; immo altero, inquit, induti sunt, duo in universum se possidere commemorant. At commode respondet Fritzschius, parasitos unicum quod habuerint pallium „invertisse“ et eo ex uno duo eaque lepida pallia fecisse, conferens schol. ad Nub. v. 88 et intpp. ad Aves v. 1567. Ac profecto parasitos unum tantummodo pallium habuisse, elucet ex Plaut. Stich. II, 2, 26:

Quid tu illas itidem esse censes, quasi te cum veste unica?

v. 7. Pro τιν' cod. A τι οὖν P τί οὖν. — ἄνδρα AP, ἄνδρ' CVL. Lucae opinionem, qui scenam haud dubie in foro fuisse dicit, vox ἐκεῖ satis refellit. Parasitos victus parandi caussa in forum se contulisse inprimis docet Plautus Captiv. III, 1, 18 sq et v. 31. Quamquam contrarium Luciani parasitus refert c. 51.

v. 8. Pro εἶμι (sic PVL) Grotius jam scripsit εἰμί. Observa primam iamborum syllabam hoc versu productam, cujus generis alterum exemplum servavit Hephaestio p. 52 ex Arist. Amphiareo:

Οἶδα μὲν ἀρχαῖόν τι δρῶν, κοὐχὶ λέληθ' ἐμαυτόν.

v. 9 et v. 10. De parasitorum assentatione vide Terentium in Eunuch. II, 2, 17 sqq. Adde Plutarchum De Discrim. Adul. et Amic. p. 51, b sqq. — Pro κλούταξ A κλοῦταξ. Ad nostrum locum sine dubio spectant Poll. III, 109 verba: ὁ δ' Εὐπόλιδος κλούταξ πέπαικται, quibus verbis Meinekius non recte tum ad Menandrum p. 161 tum ad Adulatores p. 485 haec substituit, ὁ Εὔπολις πλούταξ πέπαικεν. Vide ipsum virum summum ad Cratinum p. 49. Praeterea ad h. l. spectat Eustathius ad Iliad. p. 1091, 58: πλούταξ, ὃ δὴ παράσιτός τις ἔφη παρὰ τῷ δειπνοσοφιστῇ.

De terminatione in —αξ comicis frequente exposuit Meinekius ad Menandri fragm. p. 161.

v. 11. ἐρχόμεθ' PVL contra metrum. Pro ἄλλος habet C ἄλλο et omittit reliqua.

In iis quae sequuntur insulsi describuntur parasiti, qui, quum jocum de melioribus nullum movere queant, propterea de coena removentur. Conf. Lucian. De Merced. Cond. c. 30 et Fritzschium in indice lectt. in academ. Rostoch. semestr. hib. $18^{44}/_{45}$ pag. 14 et 15.

v. 12. Male ἀλλόφυλλον B.

v. 13. Optime Grotius pro εὐθὺς (ita PVL) restituit εὐθέως. Pro ᾗ φέρεται Bergkius praeter necessitatem conjecit ᾗ 'κφέρεται.

v. 14. Pro Ἀκέστορα recte Hermannus Ἀκέστορ' cum elisione. Pro αὐτὸ male B αὐτόν. Recte autem Runkelius ad Cratinum p. 27 et Bergkius comm. p. 124 Acestorem Eupolideum differre negant ab Acestore tragico, cui saepe peregrina origo exprobrata est. Nam Eupolis hominem appellat τὸν στιγματίαν i. e. origine peregrinum, conditione servum. Exteri maxime servitutem servire Athenis solebant.

v. 15. εἶπας ἔλεγες Venetus et Laurentianus, εἶπας ἔλεγες Palatinus, εἶπας ἔλεγεν edd. Ald. Casaub. Palmaris vero emendatio est Porsoni, qui una tantum litera deleta scripsit εἶπ' ἀσελγές, quod egregie stabilitur fragmento illo ex Eupol. Προσπαλτ. ap. schol. Vesp. v. 57:

τὸ σκῶμμ' ἀσελγὲς καὶ Μεγαρικόν,

de quo videsis Meinekium Frgm. II, I p. 522. Chorus enim supra dixit, parasitos in conviviis oportere χαρίεντα πολλὰ λέγειν i. e. faceta dicta; nunc autem nobis aliquem proponit, qui, quum hoc more neglecto rustice jocari coepisset, ejectus sit, quod evenisse dicit Acestori.

In fine versus recte θύραζε sine apostropho Grotius pro θύραζ' (ita certe PVL).

v. 16. Metro satisfecit Hermannus, pro ἀγαγὼν (ita PVL) reponens ἐξαγαγών, id quod postea confirmavit liber Venetus. Pro κλοιόν fortasse scribendum κλῳόν, uti jam suadet Meinekius. Ita Euripides in Cycl. v. 235 κλῳῷ τριπήχει, ad quem locum Musgravius: „Atticorum ea orthographia est, Aristophani non neglecta Vesp. v. 897.“ Nec discrepat schol. ad Vesp. l. l. οὕτως οἱ Ἀττικοὶ τὸν κλοιὸν κλῳὸν ἔλεγον. Addatur Phrynichus Bekkeri p. 49, 5 Κλῳομάστιξ: ὁ κλοιῷ δεδεμένος καὶ μαστιγούμενος.

Ceterum de Oeneo parum constat, quem Casaubonus fuisse putat Athenis quendam notae saevitiae vel commentariensem, vel publicum servum, vel alio quo munere fungentem. Similiter H. Grotius eum fuisse vult nobilem lorarium.

III.

Plutarchus philos. esse cum princ. p. 778, e: ὥσπερ οὖν τοὺς Καλλίου κωμῳδουμένους κόλακας λέγουσιν· Οὐ πῦρ, οὐ σίδηρος, οὐδὲ χαλκὸς εἴργει μὴ φοιτᾶν ἐπὶ δεῖπνον, κατὰ τὸν Εὔπολιν. Idem de adul. et amic. discrim. p. 50, d: οὐδὲ τοὺς

ἀμφὶ πλουσίαν τράπεζαν ἐγκυκλουμένους, οὓς οὔτε πῦρ, οὐ σίδηρος, οὐδὲ χαλκὸς εἴργει, μὴ φοιτᾶν ἐπὶ δεῖπνον.

Alias lectiones habet Vulc. *οὐδὲ τοὺς ἀμφὶ πλουσίαν ἐγκυκλουμένους τράπεζαν· οὓς οὔτε χαλκὸς, οὔτε πῦρ, οὔτε σίδηρος εἴργει κ. τ. λ.* Verissime haec ad Eupolidis Adulatores retulerunt Wyttenbachius ad Plutarchum VI. I p. 429 atque Meinekius in Curis Crit. p. 57. Non minus recte vidit Meinekius, metrum esse Pherecrateum. Nam plures versus Pherecrateos conjunxerunt etiam Aeschylus Sept. adv. Theb. v. 295 sqq., Callimachus p. 235 ed. Blomfield., Crates ap. Athen. VI p. 247, e. De alio loco apud Meinekium Fragm. II, I p. 283, ubi corrigas vitium typographicum *τὸ ἐκ τῶν ἀναπαιστικῶν* in *τὸ ἐκ τῶν ἀντισπαστικῶν*, vide Fritzschium ad Ranas p. 407.

Meinekius sic corrigit

Οὐ πῦρ, οὐδὲ σίδηρος,
(sive *Οὓς πῦρ, οὐδὲ σίδηρος,*)
οὐδὲ χαλκὸς ἀπείργει
μὴ φοιτᾶν ἐπὶ δεῖπνον.

At Eupolin *ἀπείργει* scripsisse, ideo adduci non possum ut credam, quia in utroque Plutarchi loco simplex verbum *εἴργει* invenitur. Quare in secundo versu conjicere malim, *οὐδὲ χαλκὸς ἂν εἴργοι.* Deinde nescimus, cuinam isti versus tribuendi sint. Nam chorum adulatorum ipsum haec de se praedicasse, vix credibile est. Sed in comoediis quaedam cantica leguntur, quae non chorus sed actor cecinerit.

Neque ense, neque igni probiberi a coena, proverbialem esse locutionem recte statuit Meinekius, qui apte apposuit Horat. Serm. I, 1, 39 et Propert. III, 23, 15. Adde Terent. Eun. III, 2, 38 et Plaut. Curcul. II, 1, 12 sq. Ex graecis scriptoribus exempla collegit Bernhardius Eratosth. p. 220. Haud dissimili ratione Lamponis vatis edacitas perstringitur a Cratino in *Δραπετ.* ap. Athen. VIII p. 344, e:

Λάμπωνα, τὸν οὐ βροτῶν
ψῆφος δύναται φλεγυρὰ δεῖπνου φίλων ἀπείργειν.

IV.

Pergo ad aliud fragmentum, quod invenitur ap. Athen. VII p. 286, b. Εὔπολις δ' ἐν Κόλαξί φησι „Παρὰ τῷδε (τῷ δὲ C) Καλλίᾳ πολλὴ θυμηδία, ἵνα (κινὰ B. κῖνα P) παρὰ μὲν κάραβοι καὶ βατίδες καὶ λαγῲ καὶ γυναῖκες εἰλίποδες." Haec partim iterantur apud eundum IX p. 400, b: λαγῲ παρ' Εὐπόλιδι ἐν Κόλαξιν· „Ἵνα πάρα μὲν (sic AB. ἵνα μὴ πάρα μὲν PVL) βατίδες καὶ λαγῲ καὶ γυναῖκες εἰλίποδες" (sic P. εἰλίποδες VL). Codex C haec tantum exhibet: εὔπολις, βατίδες καὶ λαγὼ καὶ γυναῖκες εἰλίποδες, quae totidem verbis leguntur apud Eustathium ad Od. p. 1534, 15 et apud Grammaticum Hermanni p. 320.

Ac primum quod ad metrum attinet, hic locus videtur paene conclamatus esse, in quo emendando summi viri frustra laborarunt. Et Hermannus quidem, qui jam in libro „de emend. rat. Gr. gr." p. 26 hunc locum metro Eupolideo scriptum esse putabat, cujus vestigia viri docti fere omnes sunt persecuti, postea in aureo illo libro „Elem. doctr. metr." p. 581 sq. restitui hunc locum posse paene desperavit. Attamen sublatis verbis ἵνα πάρα μὲν et inserta particula δὴ (cf. Dobraeum ad Nub. v. 518) sic conjicit:

. παρὰ τῷδε, Καλλία, πολλὴ δὴ θυμηδία,
. . . ., βατίδες, καὶ λαγῴ,
καὶ γυναῖκες εἰλίποδες.

Dindorfius, omisso Calliae nomine, quod interpretandi caussa ab Athenaeo adjectum esse opinatur, scribit:

_́ ⏑ __ ⏑ _́ παρὰ τῷδε πολλὴ θυμηδία.

Secundum autem versum Dobraeus in Addendis ad Aristoph. p. 121 sic corrigit:

ἵνα πάρα μὲν καὶ βατίδες καὶ λαγῲ καὶ κάραβοι.

Verba καὶ γυναῖκες εἰλίποδες initium tertii versus fuisse omnes inter se consentiunt. Denique editae lectionis metrum

defendere studuit Meinekius. Equidem hunc locum subactiori ingenio ad persanandum relinquo.

Deinde si sensum respicimus, vix potest dubitari, quin hic locus assignandus sit ei fabulae parti, in qua chorus lautissima Calliae convivia describit. Sic θυμηδία dictum est de laetitia et hilaritate convivarum in Plutarch. Symp. p. 713: ἀλλὰ καὶ ὅσοι, πολλῆς ἐν αὐτοῖς εὐφροσύνης καὶ θυμηδίας παρούσης, ἔξωθεν ἐπάγειν τὰ τέρποντα φιλοτιμοῦνται. Adde Athen. XI p. 462, c et Photium p. 97 Θυμηδία: τέρψις, τρυφή, εὐφρασία.

Carabos in deliciis magnoque pretio Athenis fuisse docet Athen. III p. 104, e et 106, d. Inter pretiosos pisces fuit etiam βάτις (cf. Arist. Vesp. v. 510), de quo pisce iniquius judicium est lurconis Dorionis apud Athen. VIII p. 337, d.

Voce εἰλίποδες de bubus usi sunt Homerus Odyss. α, 92, Hesiodus Th. v. 983, et sine substantivo Theocritus Idyll. 25, 131. Nostro loco meretrices intelligendae sunt, de quibus Maxim. Tyr. XX, 7: Ἀλλὰ Καλλίαν μὲν ἐν Διονυσίοις ἐκωμῴδει Εὔπολις, ἰδιώτην ἄνδρα ἐν συμποσίοις κολακευόμενον, ὅπου τῆς κολακείας τὸ ἆθλον ἦν κύλικες καὶ ἑταῖραι καὶ ἄλλαι ταπειναὶ καὶ ἀνδραποδώδεις ἡδοναί. Conjeceram, Maximum Tyrium verba quaedam ipsius Eupolidis servasse, ad trimetros redigenda,

τῆς κολακείας τἆθλον ἦν
κύλικες, ἑταῖραι κἀνδραποδώδεις ἡδοναί,

in qua opinione me confirmabat glossa Phrynichi apud Bekkerum p. 29, 11 Ἀνδραποδώδεις ἡδοναί; cf. ibidem p. 393, 28. Sed vanam fuisse hanc conjecturam postea intellexi ex eo loco, quem Phrynichus ante oculos habuit, Platonis in Phaedro p. 258 E sive I. I p. 64 ed. Bekk., ubi vide scholiastam p. 316 et inprimis Heindorfium p. 315 ed. Buttmann.

De dictione γυναῖκες εἰλίποδες conf. Pausan. apud. Eustath. ad Odyss. p. 1394, 40, Suid. s. μυσάχνη, Hesych. sub ipsis verbis. — Cum toto fragmento compara Aristoph. Acharn. v. 1089 sqq.

V.

Athen. XIV p. 646, f. *Σησαμίδες ἐκ μέλιτος καὶ σησάμων πεφρυγμένων καὶ ἐλαίου σφαιροειδῆ πέμματα. Εὔπολις Κόλαξιν·*

Ὃς χαρίτων μὲν ὄζει,
καλλαβίδας δὲ βαίνει,
σησαμίδας δὲ χέζει,
μῆλα δὲ χρέμπτεται.

Quatuor hi versus, quorum secundum et tertium Athenaeus paullo ante citat p. 630, a *καλλαβίδων δ' Εὔπολις ἐν Κόλαξι· καλλαβίδας — χέζει*, procul dubio ex carmine antistrophico sumti sunt, quod jam vidit Hermannus Elem. doctr. metr. p. 576. Male Heringa in Obss. c. XXVI p. 224 hos versus esse vult Cratineos. Immo sunt choriambi dimetri catalectici, de quo metro expositum est ab Hermanno l. l. p. 424 sq. p. 481 et a Gaisfordio ad Hephaest. p. 292.

Verissime autem Dobraeus ad Arist. Plut. v. 1021 et Meinekius hist. crit. p. 132 sq. hunc locum, cui simillimum invenias in Pherecratis *Πέρσαις* ap. Athen. XV p. 685, a pro chori versibus habuerunt et ad Calliam ipsum, hominem omnibus voluptatibus diffluentem, retulerunt. Sed dicatur de singulis.

v. 1 et 2 omittit C. v. 1. *με νομίζει* AB. *μενομίζει* V. *νενομίζει* P. *μὲν ὀμιχεῖ* Basil. L, quod retinuit Hermannus. Egregie vero Erfurdtius Observ. in Athen. p. 470 et Porsonus Miscellan. p. 247 *μὲν ὄζει* restituerunt, id quod probatum est Dobraeo l. l., Meinekio, Dindorfio et p. 129 Runkelio. Etenim codex epitomes prioribus omissis locum sic incipit, *σησαμίδας δὲ ὄζει*, ex quo satis apparet, lectionem *ὃς χαρίτων μὲν ὄζει* jam antiquitus exstitisse. Ceterum vulgatam *μὲν ὀμιχεῖ* primum Heringa l. l. suspectam habuit.

v. 2. *κολλαβίδας* L. *καλλαβίδας* ABPV, quam lectionem Casaubonus etiam ex Athenaeo p. 630, a in textum recepit. Erat

autem lascivum saltandi genus, de quo Ruokelius aptissime contulit Photium p. 126, 13 atque Hesychium s. *Καλαβίς* et s. *Καλλιβάντες*. Adde Athen. XIV p. 629, f et corrige Meinekii errorem „Athen. XI p. 479, f."

v. 3. *ὄζει* (pro *χέζει*) C et epitome Hoeschelii. Similes loci sunt Arist. Thesmoph. v. 570, *τὸν σησαμοῦνθ', ὃν κατέφαγες, τοῦτον χεσεῖν ποιήσω*, et Plaut. Curcul. II, 3, 16:

ex unoquoque eorum excutiam crepitum polentarium.

v. 4. Fritzschius haec mihi scribit: „Recte tu quoque h. l. assentatorum laudes agnoscis, saepe illas plenas irrisione. Comparare poteras Lucianum Pro Imagin. c. 20 fin. Sed quartum versum depravatum esse unus sensit Hermannus in Elementis D. M. p. 576. Verissime. Nam catalexis ista catalectici versus omnino non usitata est. Graeci in hoc metri genere modo nulla utuntur catalexi, modo hac (ut in Heraclidis v. 900),

⏑̱ ⏑̱́ ⏑ ⏑ — ⏑̱

modo etiam hac,

— ⏑̱ ⏑̱́ ⏑ ⏑ — ⏑̱

Nempe Eupolis non *μῆλα δὲ χρέμπτεται* scripserat, sed potius, *χρέμπτεται δέ γε μῆλα*. Ita saepe particulae *μὲν* — *δὲ* — *δέ γε* sibi invicem opponuntur, veluti in Pluto v. 162 sqq. Ejusdem metri est systema Aristophaneum ap. Athen. II p. 48, c

ὅστις ἐν ἡδυόσμοις
στρώμασι παννυχίζων
τὴν δέσποιναν ἐρείδεις.

Hos igitur versus suspicor ad idem carmen referendos esse, e quo depromti fuerint versus Pherecratei in Fragm. III ed. Meinek.

Οὐ πῦρ οὐδὲ σίδηρος
οὐδὲ χαλκὸς ἂν εἴργοι
μὴ φοιτᾶν ἐπὶ δεῖπνον.

Poterant enim parasiti in uno eodemque carmine et de semet ipsis verba facere et de genio suo Callia."

Ad dictionem conf. Pherecratem l. l. *μαλάχας ἐξερῶν*, Eupol. Maric. ap. Athen. XV p. 690, e et 691, c *ψάγδαν ἐρυγγάνοντα* et Diphil. Pict. ap. eundem VII p. 292, b *δάνει' ἐρυγγάνων*.

VI.

In scholiis ad Arist. Ranas codices Venetus et Mediolanensis ad v. 407 *καὶ τὸ ῥάκος* haec exhibent: *ὅτι σύνηθες ἦν τὸ ἐπιλέγειν, ὁπότε ἐπαινοῖέν τι ἢ συνομολογοῖεν. καὶ Εὔπολις Κόλαξι. καὶ ἐν τοῖς πρόσθεν κεῖται*, quae verba Dindorfius plaudente Meinekio transtulit ad ejusdem fabulae v. 508 *κάλλιστ' ἐπαινῶ*. Attamen Dindorfius toto coelo a vero aberravit. Rem difficillimam praeceptor dilectissimus in edit. sua Ranar. p. 196 acu tetigit, qui pro verbis *τὸ ἐπιλέγειν* corrigens *τὸ αὐτὸ ἐπιλέγειν*, priora scholii verba ad ephymnium illud v. 408 (sive v. 402 sive v. 413)

Ἴακχε φιλοχορευτὰ συμπρόπεμπέ με,

ultima autem: *καὶ ἐν τοῖς πρόσθεν κεῖται* ad Ran. v. 1265

ἰήκοπον, οὐ πελάθεις ἐπ' ἀρωγάν;

refert, quod ephymnium Euripides Aeschyli deridendi caussa repetit v. 1267, 71, 75 et 77. Ejusmodi *ἐφύμνια* occurrunt apud Aeschyl. Supplic. v. 117—122 = 127—132; et v. 162—168 atque in fine chori; tum in Agam. v. 121 v. 139 et v. 159; praeterea in Aristoph. Eccles. v. 958—60 = 966—69; v. 971—73 = 975—77.

Apparet igitur, Eupolin ephymnium aliquod in Adulatoribus usurpasse.

Tractatis quam potui diligentissime quae ad cantica pertinent chori, nunc ad reliqua fragmenta me convertam.

VII.

Athen. III p. 100, b: πληγαῖς σε χορτάσω, ἐάνπερ μὴ εἴπῃς ὁ κοιλιοδαίμων παρὰ τίνι κεῖται. — Εὔπολις τοὺς κόλακας ἐν τῷ ὁμωνύμῳ δράματι οὕτω κέκληκε· τὸ δὲ μαρτύριον ἀναβαλοῦμαι.

Bene Schweighaeuserus Eupolidis verba tum ipsi Athenaeo in promtu fuisse negat. Nam integer Eupolidis locus nusquam legitur in Athenaeo, neque quod sciam in ullo alio praeter Aelianum scriptore, licet plures ad eum videantur respexisse. Aeliani autem verba apud Suidam exstant, cujus editores quum Aelianum recte agnovissent, falso tamen, ut infra ostendam, duos eosque diversos Aeliani locos confuderunt. Nam altera Aeliani memoria de Iunio parasito incipit s. Κλείσοφος et partim, sed minus recte, s. Δεινὸν et s. Ἡμεδαπός· Ἐπεὶ οἱ Ἕλληνες Κλεισόφους τε ᾄδουσι καὶ Θήρωνας καὶ Στρουθίας καὶ Χαιρεφῶντας, ἀνθρώπους ἐσθίειν εἰδότας εἰς κόρον καὶ δεινοὺς γαστέρα, φέρε δὴ καὶ ἡμεῖς τι παίσωμεν, παρασίτου μνημονεύσαντες ἡμεδαποῦ. Continuatur eadem s. Ἰούνιος, cujus glossae partes s. Ταγηνοκνισοθήρας et s. Φαγεῖν ζῶν repetuntur: Ἰούνιος ὄνομα, εἰς τὴν ἱππάδα τελῶν καὶ φαγεῖν ζῶν, συνήθης ἦν τρισὶ πλουσίοις, κοιλιοδαίμων τε καὶ ταγηνοκνισοθήρας· βούλομαι γὰρ τὰ τῆς κωμῳδίας εἰς τοὺς τοιούτους εἰπεῖν, οὐδεμιᾷ μὰ τὸν ἀπειροκαλίᾳ· ὃς ἔνειμε τὴν γαστέρα ταῖς τρισὶ τραπέζαις, καὶ τοσαύταις ἐπιπηδῶν τραπέζαις λύκου τινὸς δίκην ἢ ἰκτίνου ἢ ἁρπυίας, ἵνα τι καὶ παίσω (caetera desunt). Iam Aelianus, ut verissime censet Meinekius p. 487 sq., manifesto nostrum Eupolidis locum intelligi voluit atque ex eo ipso attulit etiam vocem ταγηνοκνισοθήρας iisdem de parasitis dictam, quacum Meinekius vocabulum comparat item comicum κνισοτηρητὴς apud Phryn. Bekk. p. 49, 13. Fritzschio autem judice apud Eupolin iambicus fuerat tetrameter,

⏑ _́ ⏑ κοιλιοδαίμονες, ταγηνοκνισοθῆραι

similis Aristophaneo in Ranis v. 966.

Praeterea vocabulum *κοιλιοδαίμων* ab Eupolide mutuati sunt et Eustathius Opusc. p. 209, 41 et vero etiam Athenaeus III p. 97, c *Γάστρων — καὶ κοιλιόδαιμον ἄνθρωπε*, ubi tamen *γάστρων* non item ex Eupolide ductum videtur. Illud autem jure miratur Casaubonus ad Athen. III p. 100, b, quod Eupolidis vox prorsus nove usurpata est pro Daemone ganeonum praeside a Clemente Alex. in Paedag. II p. 109 ed. Lugd: — *δαίμων καθηγεῖται λιχνότατος, ὃν ἔγωγε οὐκ ἂν αἰσχυνθείην κοιλιοδαίμονα προσειπεῖν κ. τ. λ.*

Ceterum a voce *κοιλιοδαίμων* abhorrere videtur Schweighaeuseri explicatio, „qui felicitatem ventre metitur," qui videtur memor fuisse Demosthenis Pro Corona p. 521 C *τῇ γαστρὶ μετροῦντες καὶ τοῖς αἰσχίστοις τὴν εὐδαιμονίαν.* Cf. etiam Cic. De Nat. Deor. I, 40 et Herodian. I, 6. At vero Casaubonus eos esse *κοιλιοδαίμονας* interpretatur, „quorum Deus venter sit." Addere poterat vir egregius Eurip. Cyclop. v. 334, ubi Cyclops

ἁγὼ οὔτινι θύω πλὴν ἐμοί, θεοῖσι δ' οὔ,
καὶ τῇ μεγίστῃ γαστρὶ τῇδε δαιμόνων.

Nobis quidem Fritzschius sententiam suam probavit, qui in praelectionibus a Casaubono dissentiens hoc vocabulum ad alia ejusdem generis convicia comica, quasi ad normam exegit. Itaque sic statuebat, *κοιλιοδαίμων* nihil aliud significare, quam *κακοδαίμων κοιλιολάτρης.* Eodem modo in Nubibus v. 296 *τρυγοδαίμονες* scholiasta auctore interpretabatur *κακοδαίμονες τρυγῳδοί*; deinde Stratonici dictum ap. Athen. VIII p. 352, b *νακοδαίμων* duce ipso Athenaeo esse volebat *κακοδαίμων νακοδέψης*; tum *σοροδαίμων* ap. Plutarchum Moral. p. 13 B et Phrynichum Bekk. p. 63, 10 improbata Phrynichi explicatione potius explicabat *κακοδαίμων σορὸς* i. e. senex capularis; *Κρονοδαίμων* apud eundum Phrynichum ibidem p. 46, 30 item exponebat *κακοδαίμων Κρόνος* sive *Κρονόληρος*; denique *βλεπεδαίμων* apud Pausaniam Eustathii p. 206, 27 nihil aliud esse volebat, quam *ὁ κακοδαίμων καὶ στραβὸς*, der erbärmliche Schielhans.

VIII.

Photius Lex. p. 404, 16. *Πεζὰς μόσχους: ἀντὶ τοῦ ἑταίρας· ἐλέγοντο γάρ τινες οὕτως, ὡς Ἀριστοτέλης ἐν τῇ Πολιτείᾳ· τὰς χωρὶς ὀργάνων. Κάνθαρος Συμμαχίᾳ „αὐλητρίδα πεζήν.“ καὶ Εὔπολις Κόλαξιν.*

Confer schol. ad Eurip. Alcest. v. 453: *Καὶ παρὰ Σοφοκλεῖ ἐν Αἴαντι Λοκρῷ·*

Καὶ πεζὰ καὶ φορμικτά.

καὶ πεζαὶ δέ τινες ἑταῖραι λέγονται, αἳ χωρὶς ὀργάνου εἰς τὰ συμπόσια φοιτῶσι.

Plura etiam de *ἑταίραις πεζαῖς* collegit Porsonus Adv. p. 298 sq., quibus adde Procopium Hist. p. 60 Dind. Ceterum conferenda sunt, quae supra dixi ad Fr. IV.

IX.

Plutarchus De discrim. amic. et adul. p. 54, b primum docet adulatores esse *συμπαθεῖς*, id quod testatur etiam Pollux IV, 148, tum ita pergit: *Οὕτως ἄπειρος ἦν κόλακος ὁ νομίζων τὰ ἰαμβεῖα ταυτὶ τῷ καρκίνῳ μᾶλλον ἢ τῷ κόλακι* (sententiae repugnat lectio Wyttenbachii, *τῷ κόλακι μᾶλλον ἢ τῷ καρκίνῳ*) *προσήκειν,*

Γαστὴρ ὅλον τὸ σῶμα, πανταχῇ βλέπων
ὀφθαλμὸς, ἕρπον τοῖς ὀδοῦσι θηρίον.

Παρασίτου γὰρ ὁ τοιοῦτος εἰκονισμός ἐστι,

Τῶν περὶ τάγηνον καὶ μετ' ἄριστον φίλων,

ὡς Εὔπολίς φησιν.

Pro *καὶ* perperam Vulc. *ἢ*. Inepte dictum videtur „post prandium.“ Hinc Schaeferus in Melet. crit. p. 134 conjecit, *καὶ κατ' ἄριστον*. Runkelii p. 158 opinionem, hunc senarium propter voculam *φίλων* ad Eupolidis fabulam *Φίλοι* referentis non attinet confutare. Immo recte eum nostrae fabulae assi-

gnarunt Wyttenbachius ad locum Plutarchi p. 451 et postea Meinekius Quaestt. Sc. I p. 55. Scilicet notantur hoc versu adulatores.

Difficilius est de duobus illis senariis, qui praemissi sunt, quidquam certi afferre. Et Meinekii quidem conjectura, qui p. 489 hos duo versus non ex comico poeta, sed ex aenigmate quodam sumtos esse vult, haud dubie improbanda est. Contrarium enim docent ipsius Plutarchi verba *παρασίτου γὰρ ὁ τοιοῦτος εἰκονισμός ἐστιν*, ex quibus hanc esse elucet parasiti descriptionem, neque vero aenigma. Parasiti autem quum in comoedia maxime depingi soleant, non est dubium, quin hi duo versus e Graecorum comoedia repetendi sint. De poeta tamen ejusque comoedia haud sane constat. Nam etsi sententia ejusmodi est, ut optime locum habere potuerit in fabula nostra: raro tamen Plutarchus versibus utitur Eupolidis. Denique Fritzschius consulenti mihi ita respondit: „Plutarchi de fragmento *Γαστὴρ — θηρίον* observatio *παρασίτου γὰρ ὁ τοιοῦτος εἰκονισμός ἐστι*, componenda est cum loco Athenaei VI p. 258, e *κεχαρακτήρικε δὲ ὡς ἔνι μάλιστα ἐπιμελῶς τὸν κόλακα Μένανδρος ἐν τῷ ὁμωνύμῳ δράματι, ὡς καὶ τὸν παράσιτον Δίφιλος ἐν Τελεσίᾳ.* Menandri e Colace versibus in eodem libro paullo post utitur Plutarchus p. 57, a, ubi recte Wyttenbachius p. 463 dicit, descriptiones et dicta adulantium e comoediis fere, maxime Menandreis Plutarchum sumsisse. Adde Plutarchum ibidem p. 62, E ibique Wyttenbachium p. 486 sq.“

X.

Venio nunc ad socios ac ministros libidinum Calliae, qui eum in dilapidandis avitis ac paternis bonis adjuvabant. Omnesne vero, de quibus nunc disseram, in scenam progressi coramque populo exagitati sint, an poeta eos occasione oblata verbo tantum per ora hominum traduxerit, ex tenuitate fragmentorum aegre potest erui. Quum tamen poeta hujus fabulae oeconomiam sic instituisse videatur, ut Callias amicis suis cae-

nam exhiberet lautissimam, in qua voracitas ac nequissima vita adulatorum sale comico perfunderetur, veri videtur simillimum, plures eorum aliquas partes egisse. De Protagora quidem duo fragmenta omnem dirimunt dubitationem, quibus addas Athen. V p. 218, c et Clintoni Fast. Hellen. p. 69; ambigi vero potest de ceteris. Sed videamus de singulis.

Ac primum de Melanthio testatur schol. Arist. Pac. v. 803: ὁ δὲ Μελάνθιος κωμῳδεῖται εἰς μαλακίαν καὶ ὀψοφαγίαν· καὶ πολὺ μᾶλλον ἐν τοῖς Κόλαξιν Εὔπολις αὐτὸν ὡς κίναιδον διαβάλλει καὶ κόλακα. De hoc ineptissimo poeta tragico eodemque heluonum principe accuratius disputarunt Th. Bergkius comment. p. 108, 340 sq.; Meinekius hist. crit. p. 206; Cobetius Observ. crit. in Plat. p. 184 et Fritzschius in edit. Ran. ad v. 151. De poesi ejus cf. Elmslejus ad Eurip. Med. v. 96. — Hominem pessimae notae fuisse, quippe qui uno eodemque die ab omnibus comicis, qui fabulas docebant (in Aristoph. Pac. v. 803 et 1009; in Leuconis Phrat. ap. Athen. VIII p. 343, c), sit exagitatus, bene monuit Bergkius p. 108.

Melanthium sequatur Chaerephon, minime confundendus ille cum Chaerephonte parasito ap. Athen. VI p. 243, a, qui multo post nostrum vixit. Chaerephontem dico Socraticum, quem Eupolis non minus ludos fecit in hac fabula testante schol. Platon. Bekk. p. 331: Χαιρεφῶν οὗτος ὁ Σωκρατικὸς ἰσχνὸς ἦν καὶ ὠχρός, τὸ δὲ ἦθος συκοφάντης καὶ κόλαξ, πρὸς δὲ καὶ κλέπτης καὶ αὐχμηρός, τὴν δὲ περιουσίαν πένης. — Εὔπολις δ' ἐν Κόλαξι Καλλίου κόλακα λέγει —. Omnium comicorum acerrime Aristophanes eum videtur perstrinxisse. Dindorfii opinionem, qui, quum in animum induxerit, Platonis scholiastam diligenter expiscatum esse omnia ludibria, quae comici in Chaerephontem sparsissent, in quatuor tantum Aristophanis fabulis eum derisum esse dicit, in una superstite, Avibus, tribus deperditis, Telmessensibus, Dramatis et Horis, rectissime refutavit Fritzschius Quaest. Arist. p. 164 sq. Chaerephon ex pago Sphetto Acamantidis tribus (Arist. Nub. v. 156 cum schol.) intima Socratis utebatur consuetudine. Oraculi, quod Chaerephon acceperat,

quo Socrates omnium hominum sapientissimus est judicatus, meminerunt multi, in his Plato Apol. Socr. p. 21; Valer. Maxim. III, 4; Diog. Laert. II, 37. — Hos duumviros Aristophanes in Nubibus in scenam produxit, eosque nimis acriter castigavit. Cf. Nub. v. 104; 503; 831; 1465.

Pergo nunc ad alios, de quibus anonymus Suidae*) s. *Βομβοῦσιν: καὶ οἱ περὶ τὴν Διονυσίου βομβοῦντες τράπεζαν καὶ οἱ περὶ τὴν Ἀλεξάνδρου μεμηνότες δαῖτα καὶ χεῖρα, καὶ ἄλλοι δὲ καὶ ἄλλοι ὧν εἶπον, Ὀρέστης, Μαρψίας, Καλλίου τοῦ Ἀθηναίου κόλακες σὺν ἑτέροις*, quae Meinekius hist. crit. p. 137 ad nostram revocavit fabulam et utriusque viri aliquas in ea partes fuisse conjecit.

Ac Marpsiae quidem, si unum exceperis locum, nusquam mentio fit. Aristophanes enim in Acharn. senes chori facit conquerentes, senes, qui in bello summos labores ac pericula subierint strenueque pugnarint, nunc indigno modo in foro ac judiciis ab juvenibus iisque malis pessumdari et addit v. 701

πρὸς τάδε τίς ἀντερεῖ Μαρψίας;

ubi schol. *Οὗτος ὁ Μαρψίας φιλόνεικος καὶ φλύαρος καὶ θορυβώδης ῥήτωρ κωμῳδεῖται.*

De Oreste plures loci sunt in promtu, qui eum famosum

---

*) Hunc anonymum viri docti observarunt Aelianum fuisse, sed quum de uno tantum Aeliani loco cogitassent, Suidae glossas confuderunt diversas. At Suidas non unum, sed duos habet ejusdem Aeliani locos, in quorum altero agebatur de Albio Antonii parasito, in altero autem de Junio trium virorum parasito. Alterius loci, qui ad Albium spectat, partes exstant s. *Διώνυμον: Διώνυμοι κόλακες καὶ κεκηρυγμένοι περιηχοῦσιν ἡμᾶς, Κλείσοφοί τε καὶ Στρουθίαι καὶ Θήρωνες, καὶ οἱ περὶ τὴν Διονυσίου βομβοῦντες τράπεζαν, καὶ οἱ περὶ τὴν Ἀλεξάνδρου μεμηνότες* — s. *Βομβοῦσιν: — μεμηνότες δαῖτα καὶ χεῖρα, καὶ ἄλλοι δὲ καὶ ἄλλοι ὧν εἶπον, Ὀρέστης, Μαρψίας, Καλλίου τοῦ Ἀθηναίου κόλακες σὺν ἑτέροις καὶ ὅδε παρὰ Ῥωμαίοις Ἄλβιος, ὄνομα* — s. *Ἄλβιος* sive s. *Ὑπαικάλλων*, et partim s. *Φάτνη: (Ἄλβιος) ἐς τὴν ἱππάδα τελῶν, τὴν Ἀντωνίου θεραπεύων καὶ ὑπαικάλλων ἅμα φάτνην.* De altero apud Suidam loco Aeliani Junium parasitum describentis supra dictum est. Albium quendam Antonio aequalem cognitum habeo ex Horat. Sat. I, 4, 28 et ibidem v. 109. —

grassatorem nocturnum (*λωποδύτην*) Athenis illo tempore fuisse, ostendunt. Atque eundem inter Calliae adulatores fuisse, quis miretur? Quidnam melius congruit, quam interdiu arte parasitica quotidianum cibum sibi acquirere, vesperi autem et noctu cetera, quae ad vitam sustentandam sunt necessaria? — Egregie ejus vitam nobis describit chorus in Aristoph. Avibus v. 1482—94, ubi de illo facetissime voce *ἥρως* utitur, quia commune habebat nomen cum Agamemnonis filio:

εἰ γὰρ ἐντύχοι τις ἥρῳ
τῶν βροτῶν νύκτωρ Ὀρέστῃ,
γυμνὸς ἦν πληγεὶς ὑπ' αὐτοῦ
πάντα τἀπιδέξια.

Ex schol. discimus, patrem hujus nebulonis fuisse Timocratem: *ὅτι σκότους ὄντος Ὀρέστης ὁ Τιμοκράτους λωποδυτεῖ τοὺς προστυγχάνοντας. τὰς νύκτας γὰρ μόνας ἐλῄστευεν Ὀρέστης.*

Schweighaeuserus quidem ad Athen. XIII p. 567, e mire opinatur, scholiastam non tam patrem illius nominare, quam de Timoclis fabula „Oreste" loqui, ideoque pro *Τιμοκράτους* legendum esse *Τιμοκλέους*. Sed videamus, qua re deceptus Schweighaeuserus in hunc errorem inciderit. Exstat enim ap. Athen. l. l. fragmentum Timoclis fabulae, quae inscripta erat „*Ὀρεσταυτοκλείδης*," quam Suidas s. *Τιμοκλῆς* simplici nomine *Ὀρέστης* citat. Casaubonus conjecerat, hac fabula sugillatum esse Atheniensem quendam ficto a poeta nomine „*Ὀρεσταυτοκλείδης*," quasi monstrum conflatum ex vitiis Orestis, parricidio famosi et Autoclidis, insano puerorum amore infamis. Quam opinionem approbaverant Maussacus et Valesius ad Harpocrationem in *Παράβυστος* pag. 277 et in notis 126 (sive p. 316 ed. Gron.), nisi quod Valesius, nixus schol. ad Arist. Av. v. 712 et 1490 conjecerat, non tam Orestem Agamemnonis filium esse intelligendum, quam grassatorem, cui nomen vel potius cognomen Orestes, verum autem nomen fortasse Autoclides fuisset. Qui sunt meri errores. Quid autem clarius est, quam Valesii vestigia Schweig-

haeuserum temere esse secutum? Egregie Meinekius hist. crit. p. 432 et partim Dobraeus Advers. II p. 342 argumentum fabulae videntur perspexisse, qui suspicantur, ut in Aesch. Eumen. v. 46 sq. Orestem a Furiis propter parricidium, ita in Timoclea fabula Autoclidem propter puerorum amores a meretricibus circumsessum fuisse.

Sed redeat, unde digressa est oratio. Habemus enim duos alios locos in Arist. fabulis, ubi mentio fit Orestis. In Av. v. 712 cantat chorus avium, se anni tempestates indicare hominibus, *εἶτα δ' Ὀρέστῃ χλαῖναν ὑφαίνειν, ἵνα μὴ ῥιγῶν ἀποδύῃ*. Et in Acharn. v. 1166 haec leguntur:

εἶτα κατάξειέ τις αὐτοῦ μεθύων τῆς κεφαλῆς Ὀρέστης
μαινόμενος.

Verbum *μαινόμενος* duplici modo licet interpretari, sive quod erat cognominis filio Agamemnonis, sive quod in furando simulare solebat insaniam, quam interpretationem profert schol. ad Av. v. 712: *Ὀρέστης μανίαν προσποιούμενος ἐν τῷ σκότει τοὺς ἀνθρώπους ἀπέδυεν.*

In agmine adulatorum etiam Cleocritum fuisse Meinekius conjecit ex schol. Arist. Av. v. 877: *ἐκωμῳδεῖτο δὲ ὡς ξένος καὶ δυσγενής. Σύμμαχος· προείρηκεν ὅτι ξένος καὶ τάχα ὑποκριτής, νῦν δὲ ἐμφαίνεται, ὅτι καὶ τὴν ὄψιν στρουθώδης. — καὶ ἴσως ἕτερος ἂν εἴη τοῦ παρ' Εὐπόλιδι ἐν Δήμοις καὶ Κόλαξιν.* Alter locus de Cleocrito occurrit in Arist. Ranis v. 1437:

Εἴ τις πτερώσας Κλεόκριτον Κινησίᾳ,
αἴροιεν αὖραι πελαγίαν ὑπὲρ πλάκα.

Suidas, hunc locum citans, habet *Λεώκριτον*.

Veram esse Meinekii conjecturam nunc apparet e schol. ad Ran. 1437 secundum Fritzschii emendationes ad Ran. l. l. *ὡς λεπτὸς σφόδρα ὢν* (scil. *ὁ Κλεόκριτος*) *κωμῳδεῖται καὶ ὡς ξένος καὶ ὡς κόλαξ. ἐμνήσθη δὲ τούτου τοῦ Κλεοκρίτου καὶ τοῦ Κινησίου ὡς ὁμοφρονούντων.* Nam quod hic legitur *κόλαξ*, id optime quadrat in nostram fabulam. Cleocritum autem non

ut vulgo creditur, pingui et obeso corpore, sed potius gracili fuisse Fritzschius ibidem ostendit.

Diversusne fuerit noster Cleocritus et ab archonte eponymo Olymp. XCI, 4 (Diod. Sicul. XIII, 9. Arist. Lysistr. Argum. I), quod negat Runkelius p. 113, et a mystarum praecone (Xenoph. Hellen. II, 4, 20) pro certo venditare non audeo. —

XI.

Pollux X, 28 de janitoris vasis et officiis disserens: *καλεῖται δὲ οὕτω (κόρημα) καὶ τὸ σκεῦος — τὸ δὲ ῥῆμα κορεῖν ἂν λέγοις. καὶ τὸ μὲν σκεῦος καὶ ῥῆμα ὑπὸ Εὐπόλιδος εἴρηται ἐν τοῖς Κόλαξι·*

Τουτὶ λαβὼν τὸ κόρημα τὴν αὐλὴν κόρει.

Eandem hujus vocis significationem deprehendes in fragmento ex Eupolidis *Πόλεσιν* ap. Poll. X, 192 et in Arist. Pac. v. 59

κατάθου τὸ κόρημα· μὴ 'κκόρει τὴν Ἑλλάδα

quem ad locum respexerunt Suidas s. *κόρημα* et Eustathius p. 951, 41. Schol. ad Pac. *τὸ κόρημα: τὸ κόσμητρον, τὸ σάρον, ᾧ εἰώθασιν ἀποκαθαίρειν τὸ πλῆθος τῶν ἐν τοῖς οἴκοις ῥύπων.* Hesychius s. *κόρημα: κάλυντρον,* (immo *κάλλυντρον*) *ὅ τινες σάρον.*

Hunc igitur Eupolidis versum servo janitori dictum fuisse ipse Pollux videtur indicare §. 28 *Ἐπεὶ τῷ πυλωρῷ τὸ καθαίρειν, καὶ καταῤῥαίνειν τὴν οἰκίαν ἀναγκαῖόν ἐστιν* et iterum §. 29 *εἰ δὲ καὶ σαίρειν φήσεις τὸν θυρωρὸν* —. Itaque suspicor, versum e prologo ductum esse, in quo domus Calliae convivii exstruendi caussa purgaretur.

Eadem fere conjectura Meinekii fuit p. 490. Ceterum parasiti, ut a rege suo gratiam inirent, libertatem habebant venalem et ad servilia adeo ministeria descendebant (Plutarch. de adul. et amic. discrim. p. 64, E). Quare Hemsterhusius ad Pol-

lucem l. l. p. 1173 conjecit, Eupolidis verba ad aliquem parasitum dicta esse. At huic opinioni quamvis speciosae illud obstare videtur, quod Eupolis hoc versu unicum hominem, non plures, neque adeo chorum adulatorum alloquitur. Hemsterhusius autem commode uti poterat Plauti loco, in quo puer Dinacium admonet Gelasimum parasitum, ut scopas capiat ad purgandas aedes, Stich. II, 2 v. 27; 30; 51; 64.

XII.

Protagoram in hac fabula partes egisse et in scenam prodiisse, jam supra admonui. Accuratius nunc pertractemus ea fragmenta, quae hoc luculenter demonstrant.

Diog. Laert. IX, 50: *Πρωταγόρας Ἀρτέμωνος ἤ, ὡς Ἀπολλόδωρος καὶ Δείνων ἐν Περσικοῖς, Μαιάνδρου* (sive *Μαιανδρίου*) *Ἀβδηρίτης, καθά φησιν Ἡρακλείδης ὁ Ποντικὸς — ὡς δ' Εὔπολις ἐν Κόλαξι Τήϊος· φησὶ γάρ·*

Ἔνδοθι μέν ἐστι Πρωταγόρας ὁ Τήϊος.

Cum Eupolidis testimonio consentit Suidas s. *Πρωταγόρας· Ἀβδηρίτης — τινὲς δὲ αὐτὸν καὶ Τήϊον ἀνέγραψαν* (sic Eudocia, non *ἔγραψαν*). Suidas enim dicit grammaticos sive *πινακογράφους*, ut didici e Stephano Byz. s. *Ἄβδηρα*. Adde hunc ipsum Stephanum s. *Τέως — Τήϊος· ἀφ' οὗ Πρωταγόρας Τήϊος*. Attamen his Eupolidis locum observatum esse crediderim. Nam Protagoram Abderitam fuisse, praeter Heraclidem testantur Suidas ipse s. *Πρόδικος* et *Πρωταγόρας*; Plato de republ. X c. 4 cum schol.; Cicero de nat. deor. I c. 23, in Brut. c. 8, de orat. III c. 32; Quinctilianus III c. 1; Sext. Empir. adv. Mathemat. p. 148; Gellius Noct. Att. V c. 3; Minutius Felix in Octavio c. 8 p. 69; Themistius Orat. 4 p. 113; schol. ad Arist. Nub. v. 112, multique alii.

Summo igitur gravissimorum veterum scriptorum consensu Protagoram Abderitam fuisse memoriae est proditum; Eupolis solus, poeta comicus, Teium eum nominat. Unde fluxit hic

error? Tantum vero abest, ut Eupolin in patria Protagorae indicanda errasse putem, ut de industria ab eo Teium nominatum esse liquido confirmaverim. Plures enim in Aristophane exstant loci simillimi. Ac primum perpende Nub. v. 830

Σωκράτης ὁ Μήλιος,

ubi verissime Brunckius, Hermannus aliique scholiastam secuti sunt, qui Socratem, quem Athenis natum esse omnibus lippis ac tonsoribus est notum, Melium sive Meliensem nuncupatum esse dicit, quod perinde esset ἄθεος ac Diagoras Melius, de quo cf. Av. v. 1073; Cic. de nat. deor. I c. 1 et 23. Deinde simili ludendi ratione vates Hierocles, quem civem Atticum ex pago Κεραμέων fuisse docet Boeckhius Att. Seew. X, f, 13, quod paci adversabatur, in Pace v. 1047

ὁ χρησμολόγος οὑξ Ὠρεοῦ

et v. 1125

ὁ κόραξ ἐξ Ὠρεοῦ

nominatus est, quae urbs erat Euboeensium (Thucyd. VIII, c. 95; Paus. VII, c. 26), qui paci erant infestissimi. Cf. schol. ad Pac. l. l.

Praeterea notissimum est, cur Aristophanes Cleonem, civem Atticum, toties perstrinxerit quasi e natione Paphlagonum oriundum; cf. Equit. v. 2, Nub. v. 581.

Quod si Aristophani licuit, quidni idem concedes Eupolidi? Sed quaeret forsitan aliquis, cur Protagoram Teium dixerit pro Abderita. An forte Protagoras, quoniam Abderitae stolidi esse credebantur (Cic. de nat. deor. I c. 43 et ad Attic. IV, 16), semet ipse Teium potius nominare solebat? Quum enim certissime Abderita fuerit, ob id ipsum fuit Teius, quoniam Abderitas constat Teiorum fuisse colonos. At in promtu est melior quaedam ratio. Nam si is homo, qui in adulatoribus ionice loquebatur, ipse Protagoras fuit, uti acute conjecit Meinekius p. 496; Eupolis Teium ex Ionum natione eo consilio esse voluit, quo rectius ionice loquentem inducere posset.

Tum egregie Meinekius de nostro versu: „Videtur Eupo-

lis rem ita instituisse, ut, dum in interiore parte aedium Callias cum sociis scortisque epulantur, aliquis foras prodiret et quid intus ageretur narraret."

XIII.

Transeo nunc ad Eustathium p. 1547, 53: — *καθὰ ἐμφαίνειν Εὔπολις λέγεται τὸν φυσικὸν Πρωταγόραν διακωμῳδῶν ἐν τῷ·*

> *ὃς ἀλαζονεύεται μὲν ἀλιτήριος*
> *περὶ τῶν μετεώρων, τὰ δὲ χαμᾶθεν ἐσθίει.*

Legebatur *ἀλιτήριος* et *χθαμᾶθεν*, quae correxit Porsonus Adv. p. 75.

Falluntur viri docti, Runkelius Pherecr. et Eupol. frgm. p. 126, Lucas dissert. p. 103, Bergkius comment. p. 103 et Meinekius p. 490, qui miro consensu hos duos versiculos cum superiore quasi ex Diogene Laertio sumptos citant, quos frustra ibi investigare coneris.

In medio igitur est relinquendum, utrum tres illi versiculi sint continuandi, necne, quod mihi videtur verisimillimum.

Voce *ἀλιτήριος* procul dubio Eupolis castigat ejus nefariam doctrinam, qua se deorum inimicum exhibuerat. Qua ipsa de caussa Athenis eum esse expulsum, testantur Cicero de nat. deor. I c. 23; Diog. Laert. IX, 52. Conferantur Suidas s. *Ἀλιτήριος* et qui copiosius de vocis origine disputat schol. ad Equit. v. 445.

Observa, quam facete Eupolis opponat *ἀλαζονεύεσθαι περὶ τῶν μετεώρων* et *τὰ χαμᾶθεν ἐσθίειν*. Illis verbis Protagoram describit ut vanum sublimium rerum disceptatorem, his castigat eum ut hominem voracem. Cum dictione *ἀλαζ. περὶ τῶν μετ.* componere juvabit verba *μετεωροφένακας* (Arist. Nub. v. 333), *μετεωροσοφιστάς* (ibid. v. 360) et *μετεωρολέσχας* (vid. Fritzsch. Quaest. Arist. p. 128 sq.), quibus verbis Ionici philosophi, naturalium rerum indagatores, quales fuerunt Ionicae sectae prin-

cipes, vocari solebant (Hemsterh. in Anecd. p. 24). Videsis schol. ad Lucian. Prometh. p. 33 et Etym. M. p. 18, 1 et 8.

Ad verba τὰ χαμᾶθεν ἐσθίειν conferas locum Ionis tragici ap. Athen. X p. 411, b, ubi de Hercule, heroe voracissimo, dicitur:

κατέπινε καὶ τὰ κᾶλα καὶ τοὺς ἄνθρακας.

Eupolidis eadem fere verba reperies in Aristoph. fragm. incertae sedis ap. Achillem Tatium Isag. in Arat. p. 121 ed. Petav.

Ὃς τὰ μὲν ἀφανῆ μεριμνᾷ, τὰ δὲ χαμᾶθεν ἐσθίει,'

(sic Bergkius p. 1190 pro ὅς τ'αφανῆ) quae, nisi egregie fallor, Tagenistis sunt tribuenda.

Eupolidis versus sic latine vertit Grotius Excerpt. p. 506:

Superbit hic sacrilegus de caelestibus,
at esse quaerit interim terrestria.

Ceterum de Protagora inspicias Bergk. comment. p. 101—103, 117—120, 333, qui accuratius de duplici ejus Athenis commoratione et de intima cum Callia disputavit consuetudine.

XIV.

Aliud fragmentum, in quo mentio fit Protagorae, e loco prioribus vicino petitum esse putarim. Plutarchus Symp. VII p. 699, A: Εὔπολιν μὲν γάρ, εἰ βούλει, πάρες ἐν Κόλαξιν εἰπόντα·

Πίνειν γὰρ ὁ Πρωταγόρας ἐκέλευεν, ἵνα
πρὸ τοῦ κυνὸς τὸν πλεύμον' ἔκλυρον φορῇ.

Macrobius Saturn. VII, 15: In pulmonem defluere potum nec poetae nobiles ignorant: ait enim Eupolis in fabula, quae inscribitur Colaces: Πίνειν γὰρ ὁ Πρ. — πνεύμον' ἔκλυτον φορῇ.

Adde Athen. I. p. 22, f, qui partem loci servavit: Εὔπο-

λίς τε τὸν Καλλίαν φησὶν ἀναγκάζεσθαι ὑπὸ Πρωταγόρου πίνειν, ἵνα

πρὸ τοῦ κυνὸς τὸν πνεύμον' ἔκλυτον φορῇ.

Plato in Timaeo (p. 70 H. Steph.) III, 2 p. 99 Bekk.; ibidem (p. 78 H. St.) p. 114 B.; et (p. 91 H. St.) p. 139 B. dixerat, cibum per stomachum transire, potum vero per pulmonem permeare, id quod multi impugnarunt. Attamen fuisse, qui Platoni assentirentur, docet Plutarchus de Stoic. repugn. p. 1047 D. *καίτοι Πλάτων μὲν ἔχει τῶν ἰατρῶν τοὺς ἐνδοξοτάτους μαρτυροῦντας, Ἱπποκράτην, Φιλιστίωνα, Διώξιππον τὸν Ἱπποκράτειον καὶ τῶν ποιητῶν Εὐριπίδην* (cf. Plut. Moral. p. 699,A.), *Ἀλκαῖον, Εὔπολιν, Ἐρατοσθένην, λέγοντας ὅτι τὸ ποτὸν διὰ τοῦ πνεύμονος διέξεισιν*, ex quorum numero certe eximendus est Hippocrates. De Sirio sive canicula confer si opus Plin. lib. II c. 40; Hor. Od. III, 29, 18 sq.; Serm. I, 7, 25; Lucian. de gymn. c. 16.

Finis secundi versus viros doctos magnopere exercuit. Nam Xylander ad Plutarch. et Casaubonus ad Athen., quos secuti sunt Kuster ad Hesychium et Zeunius ad Macrobium, probarunt *ἔκλυρον*, Hesychii nixi explicatione vocis *ἔκλυρον*: *χλωρόν, δίυγρον, ἢ νοτερόν, ἔνικμον, ὑγρόν* et sic verterunt, „ut pulmonem haberet humectum."

Sensus est egregius, quum Athenaeus sic pergat: *ἡμῖν δ' οὐ μόνον ὁ πνεύμων ἀπεξήρανται, κινδυνεύει δὲ καὶ ἡ καρδία.* Attamen Athenaei et Macrobii codices minime variant, sed magno consensu exhibent *ἔκλυτον* et sic vult H. Stephanus, quod probo. Sicut enim in Epinici fragmento ap. Athen. X p. 432, c *πῶμα* dicitur *καύματος λύσις*, sic in nostro loco ex voce *κυνός*, cui inest notio aestus, suppleas *καύματος*.

At vero Reiskius: Sunt duo iambi, inquit, unus:

Πίνειν γὰρ ὁ Πρωταγόρας ἐκέλευεν, ἵνα

alter:

πρὸ τοῦ κυνὸς τὸν πνεύμον' ἔκκλυτον [vel *ἐκκλυστον*] *φορῇ.*

„ut bene perlutum et elutum habeat pulmonem."

Primum versum metro adversari nemo non videt. Meinekius neque ἔκλυρον, quod ne graecum quidem esse suspicatur, neque ἔκλυτον probans, ἔκκλυστον cum Reiskio scribendum esse putat.

Bene Grotius Excerpt. p. 501 totum locum sic restituit:

> *Πίνειν γὰρ αὐτὸν Πρωταγόρας ἐκέλευ', ἵνα*
> *πρὸ τοῦ κυνὸς τὸν πνεύμον' ἔκλυτον φορῇ,*

quem sic vertit:

> Potare jussit illum Protagoras, in hoc
> pulmonem mollem ut habeat ante ortus canis.

Sed ex hoc loco, quomodocunque demum scribendus sit, illud saltem colligere ausim, Protagoram ut magistrum bibendi sive ut graece dicam συμποσιάρχην ab Eupolide inductum fuisse.

XV.

Suidas s. *Λαφυγμὸς* et schol. Arist. Nub. v. 52: *λαφυγμὸν γὰρ λέγει τὸ ἀπλήστως ἐσθίειν. Εὔπολις ἐν Κόλαξι·*

> *λαφύσσεται λαφυγμὸν ἀνδρεῖον πάνυ.*

καὶ Ὅμηρος (Iliad. *λ*, 176; *ρ*, 64.)

> *ἔγκατα πάντα λαφύσσει.*

Simillimus locus occurrit Il. *σ*, 583; eaque voce Homerus in Iliade non nisi de leone est usus. De propria vi verbi *λαφύσσω* schol. ad Nub. v. 51: *ἔστι γὰρ λάπτω καὶ λαφύσσω τὸ ῥοφῶ κυρίως ἐπὶ κυνῶν καὶ χοίρων. ὅθεν παράγεται καὶ ὁ λαφυγμός.* Sed transfertur etiam ad homines, qui propter intemperantiam in cibo potuque *λαφύκται* (heluones) appellantur. Videsis Athen. XI p. 485, a. Sic quum *ἐρέπτεσθαι* de bestiis tantum dici soleat, tamen in Equit. v. 1295 Cleonymum habemus *ἐρεπτόμενον*, quippe hominem edacissimum. Deinde cum verbis *λαφυγμὸν ἀνδρεῖον πάνυ* comparare licet Pac. v. 1273 sq.

> *ἀλλ' ἀνδρικῶς ἐμβάλλετον,*
> *καὶ σμώχετ' ἀμφοῖν ταῖν γνάθοιν.*

Eupolidis vero versus optime quadrat in adulatorem vel in meretricem, qui in Calliae aedibus coenare finguntur. De parasitorum voracitate adeas Lucian. Timon. c. 8 et meretricum Athen. XIII p. 571, f. Welckerus tamen in Mus. Rhenan. I, 1 p. 23 not. 55 de nostro fragm.: „Auch das folgende Fragment (int. fr. V.), inquit, spielt dann vielleicht auf den Styl eines Sophisten an, so wie das vorhergehende:

λαφύσσεται λαφυγμὸν ἀνδρεῖον πάνυ

vielleicht auf den Prodikos als Prediger der ἀρετὴ und ἀνδρεία."

Ac fieri sane potest, ut subjectum verbi λαφύσσεται aliquis fuerit sophista idemque parasitus, ut Protagoras. At huiusmodi coniecturae nimis sunt incertae.

Omitto aliud fragmentum incertae sedis ap. Etymol. Gud. p. 116, 47. Βρυγμός: ἡ σύντομος ἐδωδή. Εὔπολις:

Ὅσος δ' ὁ βρυγμὸς καὶ κοπετὸς ἐν τῇ στέγῃ,

quod Meinekius nullo argumento nixus ad nostram retulit fabulam.

XVI.

Athen. VII p. 328, b: μνημονεύει δ' αὐτῶν (int. χρυσόφρυς) καὶ Ἐπίχαρμος ἐν Μούσαις καὶ Δωρίων ἐν τῷ περὶ ἰχθύων. Εὔπολις δ' ἐν Κόλαξί φησι·

Δραχμῶν ἑκατὸν ἰχθῦς ἐωνήμην μόνον
ὀκτὼ λάβρακας, χρυσόφρυς δὲ δώδεκα.

quem Eupolidis locum om. C.

v. 1. ἐωνημένος PVL; ἐωνημένοι B. Metro ut satisfaceret Porsonus Adv. p. 101 scripsit ἐώνημαι. Secutus sum Iacobsium Addit. p. 180 et Fritzschium ad Thesm. p. 593, qui reposuerunt ἐωνήμην.

v. 2. Pro χρύσοφρυς recte Schweighaeuserus χρυσόφρυς. — δέδωκα A. δώδεκα BPVL. Recte Porsonus δὲ δώδεκα, metro postulante Venetoque libro favente.

Lupos marinos, in his Milesios imprimis (Arist. Equit. v. 361 cum schol.), Graeci plurimi faciebant, ut docet Athenaeus l. l. p. 310, f.

Χρύσοφρυν, sacrum Veneri piscem, dulcedine et grato sapore inter omnes pisces excelluisse, Hicesii auctoritate docet Athenaeus p. 328, b. Meinekius Eupolidis versus coquo tribuendos esse opinatur, convivii, quod Calliae ejusque sociis apparaverit, impensas computanti. Haud male. Intellexerat enim, ad parasitum aliquem eos referri non posse, propterea quod non singuli parasiti in scenam prodibant, sed chorus e parasitis constabat. Neque vero me habebit refragantem, si quis Calliae ipsi hos versus asignare maluerit, quum nobilissimos heluones Morychum, Teleam, Glaucetam et Melanthium ipsos obsonatum pisces abisse in forum piscatorium, auctor sit Aristophanes in Pac. v. 1008 sq.

Postremo facere non possum, quin Welckeri interpretationem hujus fragmenti in medium proferam, qui in Mus. Rhenan. I, 1 p. 23 sq., ubi de minervalibus sophistarum disputat: „Auf die hohen Preise solcher einzelnen Vorlesungen,' inquit, zielt Eupolis in den Schmeichlern des Kallias (Athen. VII p. 328, b), indem die *λάβρακες* auf *λάβρον στόμα* (Soph. Aj. v. 1147) und die *χρυσόφρυς* auf die Lichter der Rede deuten (Arist. Ran. v. 925 *ῥήματα — ὀφρῦς ἔχοντα καὶ λόφους*. Philostr. Epist. 13 *τὸ μεγαλόγνωμον καὶ τὴν ὀφρῦν τοῦ Γοργίου*). Auf ähnliche Weise scherzte Aristophanes, wie es scheint, in der Komödie ähnlichen Inhalts, den Tagenisten (Athen. VII. p. 310, f). Von Fischen als solchen und ihren Preisen und Eigenschaften zu reden, ist nicht sehr die Sache der alten Komödie." Vir Egregius, ut hanc interpretationem firmaret, etiam haec adjicere poterat, quae legimus ap. Diog. Laert. IX, 52: *Οὗτος (ὁ Πρωταγόρας) πρῶτος μισθὸν εἰςεπράξατο μνᾶς ἑκατόν.* (Cf. Quinct. III, 1, 10 et Suid. s. *Πρωταγ.*) Numerus vero *ἑκατὸν* occurrit in duobus nostrae fabulae fragmentis. Quid inde clarius, quam Protagoram ob mercedem ludos esse factum? — Attamen hoc non est interpretari, sed inferre in textum, quae nunquam poetae

in mentem venerint. Omnes autem mihi concedent, in fabula nostra, in qua voracitas parasitorum et mira hominis ditissimi luxuria describitur ludibrioque exponitur, optime agi posse de piscibus eorumque pretio.

XVII.

Propero ad aliud fragmentum, quod exstat apud Poll. IX, 59: *Ἡ Ἀττικὴ μνᾶ ἔχει δραχμὰς ἑκατόν, ὡς ἀκριβέστατά ἐστιν ἐν τοῖς Εὐπόλιδος Κόλαξιν „Δεῖπνον θὲς ἑκατὸν δραχμάς· ἰδού.“ εἶτ' ἐπιφέρει Κόλαξιν „Οἶνον θὲς ἑτέραν μνᾶν.“ δῆλον ὅτι καὶ τὰς ἑτέρας ἑκατὸν δραχμὰς μνᾶν εἴρηκε*, quem locum exscripsit schol. ad Luciani Iov. trag. p. 670: *μνᾶς ἑκάτερον*] [*Ἡ μνᾶ ἓξ δραχμὰς ἔχει.*] *ἡ δὲ Ἀττικὴ μνᾶ εἶχε δραχμὰς ρ΄, ὥς φησιν ὁ Πολυδεύκης. Εὔπολις Κόλαξι, δεῖπνον θὲς ρ΄ δραχμὰς καὶ ἐπιφέρει Κόλαξιν οἶνον θὲς ἑτέραν μνᾶν. δηλονότι μνᾶν εἴρηκε καὶ τὰς προτέρας ρ΄ δραχμὰς κ. τ. λ.*

In primis scholiastae verbis *ἡ μνᾶ — ἔχει* manifestum deprehendimus mendum. Solanus pro ἓξ aut *ἑκατὸν* aut *ἡ δραχμὴ* ἓξ *ὀβολούς*, ut in fine scholii legi jubet. Immo scholiasta sine dubio sic scripserat: ἓξ *μνᾶς ἑκάτερον*], quae sunt Luciani verba. His subjunxerat: *ἡ Ἀττικὴ μνᾶ ρ΄ δραχμὰς ἔχει*—. Librarii vero oculi ad Luciani verba aberrarunt.

Eupolidis verba inter duas personas distribuenda esse jam vidit Kuehnius ad Pollucem, qui sic vult:

A. Δεῖπνον θὲς ἑκατὸν δραχμάς. B. ἰδού.
A. Κόλαξιν οἶνον θὲς ἑτέραν μνᾶν.

Rationem addit putari expensarum cum caupone. A. In coenam computa centum drachmas. B. Ecce. A. Adulatoribus pro vino computa alteram minam.

Attamen hac ratione nescio an scribendum sit: *δεῖπνον θὲς* — et *οἴνου*, ut in Eriphi loco ap. Athen. III p. 84, c

τούτων μὲν ὀβολόν, εἰ πολύ,
τίθημι· λογιοῦμαι γάρ.

Hemsterhusius vocem κόλαξιν post ἐπιφέρει secundum Iungermanni conjecturam delevit, Eupolidis vero locum sic constituit:

A. Δεῖπνον; θὲς ἑκατὸν δραχμάς. *B.* ἰδού.
A. Οἶνον; θὲς ἑτέραν μνᾶν,

quae recepit Meinekius, signo interrogationis post δεῖπνον et οἶνον deleto. Ac jure Hemsterhusius κόλαξιν sustulit ex versu secundo, quod si locum habuit in Eupolide, certe ponendum erat ante δεῖπνον. At ne sic quidem scribere licet:

A. Κόλαξι δεῖπνον; *B.* θὲς ἑκατὸν δραχμάς. *A.* ἰδού.
Οἶνον; *B.* θὲς ἑτέραν μνᾶν.

Nam opus esset articulo, ut de certis parasitis, τοῖς κόλαξι. Fortassis igitur Pollucis locus valde corruptus est. Recte autem observavit Hemsterhusius ad Lucian. Dial. mort. IV, 1, θὲς apud Eupolin significare „numera, solve pecuniam," non ut aliis in locis „refer in rationes." Adde Arist. Vesp. v. 661.

XVIII.

Athen. VII p. 328, e: Τριχίδων (sic CL. τριχιῶν APV.) δὲ (μέμνηται) Εὔπολις ἐν Κόλαξιν·

Ἐκεῖνος ἦν φειδωλὸς, ὃς ἐπὶ τοῦ βίου
πρὸ τοῦ πολέμου μὲν τριχίδας ὠψώνησ' ἅπαξ,
ὅτε τὰν Σάμῳ δ' ἦν, ἡμιωβολίου κρέα.

v. 2. ὠψώνησ' L. ὀψώνησ' PV. ἐψώνησε B.

v. 3. Pro τὰν B δ' ἂν, tum ἡμιωβολίου L. ἡμιωβελίου AC. ἡμιοβολίου PV. Compara Arist. Ran. v. 553 κρέα — ἀν' ἡμιωβολιαῖα.

Τριχίδων, vilissimi generis piscium, passim mentionem fecit Aristophanes, ut in Acharn. v. 551; Equit. v. 662; Eccles. v. 56 et Holc. fragm. ap. Athen. p. 329, b. Suidas: τριχίδες,

εἶδος ἰχθύος, αἱ λεγόμεναι θρίσσαι, cui assentiuntur scholl. ad Arist.

Hic locus ita vertendus est: „ille erat parcus, qui per totam vitam ante bellum Samium semel emit trichias, belli autem Samii tempore semel emit carnes semiobolares.“ *Τὰν Σάμῳ*, quae dictio, licet alio sensu, etiam occurrit in Arist. Vesp. v. 284, Schweighaeuserus recte intelligit de bello Samio. Recte etiam Meinekius hos versus de Hipponico Calliae patre interpretatus est. Primum enim sermo est de homine mortuo: Hipponicus autem nostrae comoediae anno jam diem suum obierat teste Athenaeo V p. 228, b. Deinde Eupolis ridet hominis praeparci sordes: cum quo dicto Meinekius hist. crit. p. 132 bene componit locum Andocidis de Myster. p. 121 ed. Bekk., hunc ipsum Hipponicum *σωφροσύνης* nomine laudantis. Sed aculeos dicti Eupolidei nemo ac ne Meinekius quidem videtur perspexisse, qui p. 493: „Videtur autem, inquit, circa Samum insulam inprimis larga fuisse trichiarum captura.“ At id quidem demonstrari nullo modo potest. Quaeritur autem, quid sit, quod Hipponicus pacis tempore obsonii loco trichias emerit, bello autem saeviente non emerit trichias, sed potius carnes semiobolares. Nimirum hoc ille fecit ut bonus paterfamilias prudenti sane consilio. Nam navali bello Athenis vel ipsi trichiae magno venibant, propterea quod trichiae erant inter cibos militum classiariorum, ut diserte ait Aristophanes Acharn. v. 551 et ibidem scholiasta. Hinc etiam Peloponnesio bello trichiae haud parvo emendi erant, ut patet ex Equit. v. 662.

XIX.

Perveni nunc ad grave fragmentum, quo edocemur, Eupolin in nostra fabula ne Alcibiadi quidem pepercisse, in quem paucis post annis acerbissimam scripsit fabulam *Βάπτας*.

Athen. XII p. 535, a: *κεκωμῴδηται (ὁ Ἀλκιβιάδης) δὲ καὶ ὑπὸ Εὐπόλιδος ὡς καὶ ἀκόλαστος πρὸς γυναῖκας ἐν Κόλαξιν οὕτως·*

'Αλκιβιάδης ἐκ τῶν γυναικῶν ἐξίτω. B. τί ληρεῖς;
οὐκ οἴκαδ' ἐλθὼν τὴν σεαυτοῦ γυμνάσεις δάμαρτα;

quos versus om. C. Perperam L σεαυτῷ; recte σεαυτοῦ reliqui. In restituendis senariis frustra laboravit Schweighaeuserus. Sunt enim, monente Porsono Adv. p. 133, tetrametri iambici cum caesura ithyphallica, de qua exposuerunt Reisigius Conj. p. 118 et Fritzschius de trimetro comico p. 10.

Verba ἐκ τῶν γυναικῶν ἐξίτω recte explicat Schweighaeuserus, „mulier esse desinat.“ Cf. Xenoph. Cyrop. I, 2, 8 ἐξέρχονται εἰς τοὺς ἐφήβους, Eurip. Alcest. v. 413 γήρως ἔβας τέλος, Terent. Andr. I, 1, 24 excessit ex ephebis.

Versum secundum Schweighaeuserus sic vertit: „uxorem tuam exerceto: i. e. severa disciplina eam exerce et cave, ne illam corumpat et nimis se virum praestet is, quem tu mulierem esse ais.“ At nullus, dubito, Meinekii interpretationem, utpote comico poeta dignam, sequi, qui nixus Asclepiade Anthol. Pal. V, 203 ᾧ πολὺν ὕπτιον ἵππον ἐγύμνασεν, verbum γυμνάζειν accipit de exercitatione in Veneris palaestra, de subagitanda muliere. Sic enim explicat: „Tantum abest, ut mulier sit Alcibiades, ut in tua uxore virum se praestiturus sit, nisi tute ipse eam strenue in Veneris palaestra exerceas.“— Nefandas sane istas libidines Alcibiadi objicit Eupolis, quas scriptor quidam anthologiae sic describit:-

'Ανέρες εἰσὶ γυναιξὶ, καὶ ἀνδράσιν εἰσὶ γυναῖκες.

Tali enim intemperantia Alcibiadem fuisse docet Bion Borysthenita ap. Diog. Laert. IV, 49: τὸν 'Αλκιβιάδην μεμφόμενος ἔλεγεν ὡς νέος μὲν ὢν τοὺς ἄνδρας ἀπάγοι τῶν γυναικῶν, νεανίσκος δὲ γενόμενος τὰς γυναῖκας τῶν ἀνδρῶν.

Simillima ratione Curio Caesarem perstrinxit, quem omnium mulierum virum et omnium virorum mulierem appellabat; cf. Sueton. in Caes. c. 52 extr.

De ipso Alcibiade idem testatur Pherecrates ap. Athen. l. l.

Οὐκ ὢν ἀνὴρ γὰρ 'Αλκιβιάδης, ὡς δοκεῖ,
ἀνὴρ ἁπασῶν τῶν γυναικῶν ἐστι νῦν.

Alcibiadis, de cuius cum Callia affinitate supra dixi, partes quasdam fuisse in hac fabula, non declarat locus Libanii ap. Cramer Anecd. IV p. 158, a Meinekio allatus. Nam verba *τίς οὐκ Εὔπολις;* ad Baptas refero, eodemque pertinet Aristidis scholiasta III p. 444, de quo loco accuratius disputarunt Fritzschius Quaest. Arist. p. 197 sq. et Cobet Observ. crit. p. 40 sq. —

Paucis attingam Eupolidis versum apud Etymol. M. p. 726, 55:

Οὐδὲν κενὸν τρύπημ' ἂν ἐν ταῖς οἰκίαις ἂν εὕροις.

Ita enim recte scripsit Porsonus in Advers. p. 285, cujus animo haud dubie obversabatur locus Arist. Eccles. 624. Hunc igitur versum Adulatoribus tribuit Meinekius p. 495 et p. 562, utpote ex eadem scena sumtum, in qua fuit locus *Ἀλκιβιάδης — δάμαρτα.* Quae valde incerta conjectura est. Nam ut non alius viri quam Alcibiadis libidines hoc versu notatae sint, tamen id quoque in Baptis non minus fieri potuit, quam in Adulatoribus. Accedit, quod Aristophanes hoc metro in omnibus fere, quas habemus, comoediis utitur.

XX.

Pollux IX, 90: — *οἱ ἀρχαῖοι Ἀττικοὶ ἥκιστα — ἐχρῶντο — ἐπὶ τοῦ ἀργυρίου τῷ πληθυντικῷ· τἀργύρια γὰρ ἐπὶ τοῦ ἀργυρίου σπανίως ἄν τις εὕροι παρ' αὐτοῖς. ἐγὼ δ' εὗρον ἐν ταῖς Νήσοις Ἀριστοφάνους, εἰ μὴ ὑποπτεύεται τὸ δρᾶμα ὡς Ἀριστοφάνους μὴ γνήσιον* (*μὴ* inseruit Fritzschius; libri *γνήσιον*). *ἀλλ' οὔτι γε καὶ οἱ Κόλακες Εὐπόλιδος, ἐν οἷς εἶπε·*

Φοροῦσιν, ἁρπάζουσιν ἐκ τῆς οἰκίας
τὸ χρυσίον, τἀργύρια πορθεῖται.

De plurali *ἀργύρια* Fritzschius in Euphrosyne p. 15 egisse ostendit eundem Pollucem VII, 104, imprimis vero III, 86,

ubi scribendum esse e cod. Falckenburg. τὸ δὲ ἀργύριον καλεῖται χρήματα καὶ νόμισμα, ὥσπερ καὶ τὸ χρυσίον. ἀργύρια δὲ κατὰ πλῆθος ἥκιστα λέγουσιν Ἀττικοί· εἴρηται δέ που ἐν Κωκάλῳ καὶ Νήσοις Ἀριστοφάνους. Ibidem recte animadvertit, in Aristophanis versu e Daetalensibus, quem affert Pollux VII, 170 atque IX, 88, scribendum esse, Οὐδ' ἀργύρι' ἐστὶ κατακεκερματισμένα, quam emendationem Fritzschio, non sibi tribuere debebat Bergkius ad Daetalenses p. 1043. Addidit, eundem pluralem etiam in Avibus v. 600 et Platonis Cleophonte apud Antiatticistam Bekkeri p. 79, 20 inventum esse. De ipso autem atticistarum decreto quae Fritzschius l. l. paucis dixit, ea sic intelligenda sunt. Negat Pollux IX, 89, ἀργύρια satis attice usurpari „de pecunia," neque vero plane negat hanc pluralem esse atticum. Itaque Pollux fortasse sic censuit, ἀργύρια attice tantummodo dici „de argenti fodinis," cuius quidem usus plura exempla habet Xenophon, ut in Memorabil. II, 5, 2 et III, 6, 12. Aliquanto melius, quam Pollux, Phrynichus atticista in scholiis ad Nubes v. 755 pluralem ἀργύρια de pecunia positum comicis poetis praecipue tribuit, qui eo saepissime ita utuntur. Prudenter tamen addit Phrynichus, etiam Sophronem eodem modo loqui, et vero addere poterat scriptorem vel maxime atticum, Platonem De Legibus V p. 742 (III. II p. 401 Bekk.), qui de magna vi auri et argenti χρυσία καὶ ἀργύρια usurpat. Redeo ad locum Eupolidis. In quo et simplicissimum est et rectissimum, τὸ χρυσίον et τἀργύρια de aureis argenteisque nummis interpretari. Quamquam Meinekius p. 495 τἀργύρια h. l. de vasis argenteis accipere videtur, optima sane sententia. At vereor, ut vocabulum ἀργύριον hanc habere possit significationem. Non rectius ego aliquando verba τἀργύρια πορθεῖται sic intellexi: „argenti fodinae expilantur." Obversabantur mihi tum duo Xenophontis loci, quos paullo ante attuli. Praeterea e Xenophonte scimus, Hipponicum Calliae patrem sexcentos servos in metallis habuisse, quae Callias sine dubio jure hereditario acceperat. Attamen et nimia haec futura esset hyperbole et obstare videtur huic explicationi id, quod modo an-

tecessit τὸ χρυσίον. Verissime autem statuit Meinekius, Eupolidis verba ad assentatores, qui Calliam bonis exuerint, referenda esse. Nec minus apposite Runkelius huc revocat illud Aristophanis in Avv. v. 284 sqq.

Καλλίας ἄρ' οὗτος οὔρνις ἐστίν· ὡς πτερορρυεῖ.
Ἔποψ.
ἅτε γὰρ ὢν γενναῖος ὑπὸ τῶν συκοφαντῶν τίλλεται,
αἵ τε θήλειαι προσεκτίλλουσιν αὐτοῦ τὰ πτερά.

XXI.

Magnam in Pollucis libr. X, 10 lacunam post verba *καὶ τοῖς σκεύεσιν ἀποθήκην* Hemsterhusius commode explevit his codicis Falckenburgiani verbis: *αὐτὰ δὲ τὰ σκεύη καλοῖτ' ἂν ἔπιπλα, ἤγουν**) *ἡ κούφη κτῆσις, τὰ ἐπιπολῆς ὄντα τῶν κτημάτων· ὁ γοῦν Εὔπολις ἐν τοῖς Κόλαξι προειπών, ἄκουε δὴ σκεύη τὰ κατ' οἰκίαν, ἐπήγαγε παραπλήσιον· τεσσυγέγραπται* (codex potius habet *τεσσογέγραπται*, monente Fritzschio ad Ranas p. 217) *τοῖς τὰ ἔπιπλα.*

Phrynichus in Epitom. p. 334 ad nostrum locum respiciens: *Ἐνδυμενία: ἀμαθῶς· δέον διττῶς λέγειν, ὡς Εὔπολις Κόλαξι, σκεύη τὰ κατὰ τὴν οἰκίαν καὶ ἔπιπλα.* Articulum *τὴν* e Phrynicho recte addidit Hanovius in Exercit. Crit. p. 141, caetera non audiendus. Quo probato Fritzschius Quaest. Arist. p. 55 sq. locum sic consituit:

Ἄκουε δή· σκεύη τὰ κατὰ τὴν οἰκίαν.

Melius tamen Meinekius et idem Fritzschius ad Ranas l. l. Hemsterhusium et Runkelium p. 130 secuti post verba *ἄκουε δὴ* non distinxerunt. Sed imprimis magnam difficultatem habet secundus versus, quem viri docti varie tentarunt et interpretati

---

*) Sic Hemsterh. ad h. l. pro vulgata *ἐπιπλάγιον ἢ κ.* quam idem ad schol. Luc. dial. mort. p. 364 mutat in *ἔπιπλα, οἷον* vel *οἱονεί.* Parvi refert, utram correctionem eligas.

sunt. Res enim summa in eo versatur, utrum παραπλήσιον sit Pollucis an Eupolidis. At Meinekius quidem Hanovium sequitur, qui l. l. παραπλήσιον Pollucis verbum esse contendit, id quod jam Hemsterhusius tacite secutus est. Nullus tamen horum triumvirorum corrupto versui medelam attulit. Eadem opinione captus Pauwius ad Phrynichum l. l. conjicit:

θὲς σύ, γέγραπται τοῖσδε τἄκπλα,

inani et irridenda crisi (ut Lobeckii verbis utar), qua sensus non restituitur. Eaedem fere conjecturae sunt Bothii „Die griechischen Komiker" p. 16, ubi pro τοῖσδε typothetae errore scriptum est τοῖσι. Contra παραπλήσιον ipsi Eupolidi tribuerunt Bentlejus Epist. ad Hemsterh. p. 85 versu ita correcto:

παραπλήσιόν τε σοι γέγραπται τἄκπλα,

Runkelius l. l., qui scribit:

παραπλήσιόν τε συγγέγραπται τἄκπλα

et Fritzschius in Quaestt. l. l., ubi Bentlejum fere sequitur. Novissime autem Fritzschius ad Ranas p. 217 loco iterum tractato ostendit, Pollucis ut putant verba ἐπήγαγε παραπλήσιον inepte conjungi, παραπλήσιον autem et ad senarii integritatem requiri, et quum intelligi nequeat, vel in Eupolide emendandum fuisse. Quare Fritzschius hunc versum nunc ita corrigit:

Παραπλήσι' ὄντα σοι γέγραπται τἄκπλα,

(totidem numero vasa a te scripta sunt). Quo praeceptor meus obscuro loco lucem attulisse censendus est. Nam pluralis παραπλήσιοι „totidem fere" significat in locis Diodori Siculi XIII, 80 et XVI, 47. Non minus laboratur in corrupti loci explicatione, etsi plurimos interpretes verum vidisse censeo. Nam recenseri vasa Calliae Hemsterhusius animadvertit, eadem scripto consignari Hanovius et Meinekius, qui addit, vasorum recensum in iis, quae omiserit Pollux, exhibitum fuisse. Quorum sententiam ita probat Fritzschius ad Ranas l. l., ut priorem versum scribae assignet, posteriorem autem Calliae enumerata

jam supellectili. Non satis recte scribit Bothius l. l. „So sprach vermuthlich in dem Stücke Einer, der Kallias Inventar aufnahm, zu seinem Schreiber."

XXII.

In recensenda aedium supellectili allata etiam videntur, quae in proximis leguntur fragmentis.

Pollux VII, 192: *Εὔπολις δὲ Κόλαξι* (*ἔφη*)·

κεκρύφαλοί τε καὶ τύλη (codex Iungermanni *τύλαι*).

Sed audiamus Pollucem accuratius disputantem X, 39: *τὰ μὲν οὖν τυλεῖα καὶ τὰ κνέφαλλα οὐ μόνον παρὰ τοῖς κωμῳδοῖς ἐστιν, ἀλλὰ καὶ ἐν τοῖς Δημιοπράτοις πέπραται κνέφαλλον καινὸν καὶ κνέφαλλον παλαιόν. καὶ τύλη* (sic codd. Falckenb. et Iungermanni pro *τυλεία*) *δὲ παρ' Εὐπόλιδί ἐστιν ἰάζοντι ἐν τοῖς Κόλαξι κ. τ. λ.*

Vocem *τύλη* (h. e. culcitam) attici sermonis magistri respuunt, Phrynichus Ecl. p. 173 *τύλην, εἰ καὶ εὕροις που, σὺ κνέφαλλον λέγε* et Hesychius s. *κνέφαλον*. Addas Herodian. *περὶ μονήρ. λέξ.* p. 39, 13 *τύλη, ὅπερ σύνηθες Ἀττικοῖς κνέφαλλον καλεῖν — τὸ τύλη, ὅπερ οὐκ ἦν παρ' Ἀττικοῖς.*

De his Eupolidei senarii reliquiis manifesto erravit Hemsterhusius, qui *τύλη* accipit pro plurali numero, et a nominativo *τὸ τύλος* derivat. At tantum abest, ut hoc graecum vocabulum sit, ut Graeci masculino tantum *ὁ τύλος* usi esse reperiantur. Immo verissime Iungermannus et nuper Meinekius e codice scripserunt *κεκρύφαλοί τε καὶ τύλαι*, ne repugnante quidem altero loco X, 39, in quo solum nomen *τύλη*, non casus hujus nominis affertur.

Ex voce *ἰάζοντι* autem licet conjicere, Eupolin aut ipsum occasione oblata ionica dialecto esse usum, ut Arist. Pac. v. 47, aut induxisse in scenam hominem ionice loquentem, quod veri videtur simillimum. Atque Meinekii opinioni, qui ionice locutum putat Protagoram, nescio an ex eo magnum accedat pondus,

quod Protagoras in hac ipsa fabula nominatus est ὁ Τήϊος (cf. fragm. XII.), ex urbe Teo oriundus, quam ionicam urbem fuisse in media fere Asia minore satis constat. (Vid. Herod. I, 142; Strab. XIV, 638.)

XXIII.

Pollux X, 97 de coqui instrumentis disserens — *καὶ μολυβδοκρατευταί. καὶ Εὔπολις δὲ ἐν τοῖς Κόλαξιν ἔφη „μολυβδίνους κρατευτάς.“* Cum fructu ad h. l. conferes Hom. Il. *ι*, 213 ibique intpp.

Sciens praetereo duo alia fragmenta ap. Erotianum Lex. Hippocr. p. 170 et ap. Pollucem VI, 103 sive X, 92, quae Meinekius nullo argumento nixus ad nostram retulit fabulam.

XXIV. a. b.

Choeroboscus Bekkeri Anecd. p. 1196: *σπανία ἐστὶν ἡ χρῆσις τῆς βοῦς εὐθείας τῶν πληθυντικῶν, μᾶλλον δὲ οἱ βόες εὕρηται. ἐπὶ δὲ τῆς ὁμοφωνούσης αὐτῇ αἰτιατικῆς, λέγω δὲ τῆς τὰς βοῦς, πλατεῖά ἐστιν ἡ χρῆσις, ὡς ἐν Κόλαξιν Εὐπόλιδος·*

Θὲς νῦν ἀγροὺς καὶ πρόβατα καὶ βοῦς.

Grammatici *πλατεῖαν χρῆσιν* de frequenti usu dicunt atque vulgari, ut docuit Meinekius ad Eupol. Demos p. 471.

Eidem scenae videtur tribuendum esse aliud Eupolidis fragmentum ap. Phrynich. Praep. soph. p. 17, 29: *Ἀσκεῖν καὶ ἀσκηταί, καὶ ἀσκητικῶς: τὸ ἀγωνιστικῆς ἐπιμελείας τυγχάνειν ἀσκεῖν ἐστίν. Εὔπολις·*

Ἵππον κέλητ' ἀσκοῦντα θές,

quem versum jam Runkelius p. 171 et Fritzschius Quaest. Arist. p. 202 adnot. ad nostram fabulam revocarunt.

Verbum *θὲς* Meinekius p. 497 et Fritzschius ad Ranas p. 216 explicasse videntur „scribe, ad rationes refer.“ Dicunt

enim alterum dictare, alterum scripto consignare, sive Calliae verba esse ad scribam, qui bona in accepti tabulas referat. Postremo Meinekius conjecit, utrumque versum ita conjungendum esse,

> Θὲς νῦν ἀγροὺς καὶ πρόβατα καὶ βοῦς — ⏑ —
> Ἵππον κέλητ' ἀσκοῦντα θές.

Atque id multo praestat, quam Bothii (Die griechischen Komiker p. 16) idem conantis conjectura,

> Θὲς νῦν ἀγροὺς καὶ πρόβατα καὶ βοῦς καὶ κέλητ'
> ἀσκοῦντα θὲς ἵππον.

Talis enim elisio in fine trimetri ferri non potest, neque magis licet verborum ordinem sine ulla caussa turbare.

Restant perpauca fragmenta, quae propter tenuitatem nihil faciunt ad intelligendam hanc fabulam; quare de iis breviter absolvam.

XXV—XXVIII.

Pollux IX, 37 de synonymis vocabuli γείτων loquens: *Εὔπολις δὲ ἐν Κόλαξι καὶ „συμπαροίκους" εἴρηκεν.*

Idem VI, 159: *Εὔπολις δὲ συμβίωτοι, συμπάροικοί καὶ συνήλικες εἶπε.* Vox συνήλικες monente Meinekio unice referenda est ad Maricantis locum, quem servavit Plutarchus in Nicia c. 4. Συμβίωτοι autem in Polluce edidit Hemsterhusius retinuitque Meinekius p. 497. At Passovius in Lexica s. h. v. dubitat, an id omnino graecum sit vocabulum. Recte. In Polluce enim duo codices scribunt συμβίωτε, tertius συμβιῶται, quartus denique „συμβιωταί," idque recte restitui jussit Seberus. Sed ex quanam Eupolidis fabula v. συμβιωτής afferatur, plane nescimus: neque enim ad Colacas hanc vocem referre ausim. Quamquam non ignoro, συμβιωτὴς idem fere significare, quod παράσιτος. Vide Polemonem ap. Athen. VI p. 234, d τὸν παράσιτον ἱερόν τι χρῆμα καὶ τῷ συνθοίνῳ παρόμοιον. Clearchum ibid. p. 235, a παράσιτον — τὸν εἰς τὸ συμβιοῦν κατ-

ειλεγμένον, Posidonium ibid. p. 246, d συμβιωτάς, οὓς καλοῦσι παρασίτους, Lucianum Vitar. Auct. c. 12 συμβιῶναι δεξιὸς καὶ συμπιεῖν ἱκανός. At sacri potius, quam vulgares parasiti συμβιωταὶ appellantur. —

Harpocratio p. 152, 7. Περίστατοι: — ἀντὶ τοῦ περὶ ἃς κύκλῳ ἵστανται οἱ θεώμενοι. τὸ ὄνομα καὶ ἐν Ἀρχιδάμῳ ἐστὶ καὶ παρ' Εὐπόλιδι ἐν Κόλαξιν. Locus Isocratis in Archidamo est § 95, 6 ed. Bekk.

Antiatticista Bekkeri p. 96, 17. Ἐφάπαξ: Εὔπολις Κόλαξιν. —

Photius Lex. p. 217, 5. Λευκὴ ἡμέρα: ἡ ἀγαθή· καὶ ἐπ' εὐφροσύνῃ· Εὔπολις Κόλαξιν. Prior explicatio ἡ ἀγαθὴ non ad Eupolin referenda erat, sed aut ad Sophoclem Antiatticistae Bekk. p. 106, 33 Λευκὴν ἡμέραν: τὴν ἀγαθήν. Σοφοκλῆς Ἀθάμαντι, aut ad Menandrum Zenobii VI, 13 καὶ Μένανδρος δέ φησιν ἐν Λευκαδίᾳ τὴν ἀγαθὴν ἡμέραν λευκήν. Ad Eupolim vero pertinent tantum verba καὶ ἐπ' εὐφροσύνῃ i. e. λευκὴ ἡμέρα usurpatur etiam de lautis epulis. Praeter Eupolin ita loquitur Philostratus V. A. IV, 42 λευκὴν δ' ἔθυον ἐν αὐτῷ ἡμέραν. Intelliguntur autem epulae Calliae et parasitorum, ut recte Meinekius censuit. Ceterum poetis candidus dies omnino signum est felicitatis, ut atra nox signum malorum (Aeschylus Pers. v. 301 λευκὸν ἦμαρ νυκτὸς ἐκ μελαγχίμου). Sed si hanc metaphoram a certo quodam instituto repetere placet, repetatur saltem ab instituto Atheniensium eorumque λευκοῖς κυάμοις et λευκαῖς ψήφοις, quam rationem iniit Plutarchus in Pericle c. 27. Omnino Thraces auctore Plinio H. N. 7, 40 et Scythae teste Phylarcho ap. Zenobium VI, 13 laetos dies albo, tristes autem nigro calculo vel lapillo notabant. At hac barbara consuetudine minime graeca illa formula λευκὴ ἡμέρα illustranda est, sed potius dictiones latinorum poetarum, qui sane ad hoc barbarum institutum saepe alludunt. Vide Catull. 68, 148; Horat. Sat. II, 3, 246; Pers. Sat. II, 1. V, 108; Plin. Epp. 6, 11 aliosque locos.

XXIX. XXX.

Pollux X, 90, ubi collato Athenaei loco IX p. 408, c restituendus est sine dubio Iliadis ω, 304

'χέρνιβον ἀμφίπολος πρόχοόν θ' ἅμα χερσὶν ἔχουσα,

sic pergit: ῥητέον δ' αὐτὸ καὶ χειρόνιπτρον, Εὐπόλιδος εἰπόντος ἐν Κόλαξι·

Φροῦδον τὸ χειρόνιπτρον
οἷς ἐπακτέον καὶ σπόγγους καὶ σπογγίας.

Cod. A Eupolidis verba omittit et statim addit ad εἰπόντος: οἷς ἐπακτέον κ. τ. λ. Meinekius haec ad Eupolidis fragmenta incerta, ex Polluce depromta (CXIV— CXVI), retulit, totum locum ita scribens: ῥητέον δ' αὐτὸ καὶ χειρόμακτρον, Εὐπόλιδος εἰπόντος „Φροῦδον τὸ χειρόμακτρον," quae lectio unde orta sit, nescio. Pollux II, 150 utrumque vocabulum conjungit: ἐρεῖς δὲ καὶ χειρόνιπτρον, χειρόμακτρον. Voce χειρόνιπτρον Eupolis etiam in Demis est usus. Vid. Athen. l. l. et p. 410, b, ubi egit de discrimine utriusque vocis. —

Postremo attingam fragmentum incertae sedis, quod nostrae fabulae fortasse tribuendum est. Eustathius ad Il. p. 1481, 34. 1817, 49 Εὔπολις·

Οὐ γὰρ λέλειπται τῶν ἐμῶν οὐδ' ἔγκαφος.

Eodem modo hic versus vulgo legitur in Suida s. Ἔγκαφος, quae glossa quum in codicibus desit, nuper expuncta est. Male hic locus exhibetur in Zonarae Lex. p. 603 οὔτ' ἄρ λέλειπται, pejus etiam in Etymol. Magn. p. 310, 21 οὔτ' ἄρ λέληται, unde male scripsit Valckenarius ad Ammon. p. 20 οὐ γὰρ λέληται. Eustathii vero scripturam jure probarunt Toupius Cur. Nov. in Suidam p. 299, Runkelius p. 171, Meinekius p. 565.

Cum Eupolidis loco componas simillimos Arist. Lysistr. v. 107:

Ἀλλ' οὐδὲ μοιχοῦ καταλέλειπται φεψάλυξ.

et Plaut. Trucul. II, 2, 29:

ubi musca nulla foemina est in aedibus.

Iam ante nos Meinekius bene admonuit, Eupolidis versum fortasse Adulatoribus esse vindicandum, quum egregie conveniat Calliae bonis fortunisque omnibus spoliato.

F. V. FRITZSCHI

EMENDATIONES.

Frustra viros doctos exercuit didascalia Pacis Veneta, Ἐνίκησε δὲ τῷ δράματι ὁ ποιητὴς ἐπὶ ἄρχοντος Ἀλκαίου (Ol. LXXXIX, 3) ἐν ἄστει· πρῶτον Εὔπολις Κόλαξι, δεύτερον Ἀριστοφάνους Εἰρήνη, τρίτος Δεύκων Φράτορσι. τὸ δὲ δρᾶμα ὑπεκρίνατο Ἀπολλόδωρος ἡνίκα ἑρμῆν λοιοκρότης. Postrema haud dubie sic corrigenda sunt, — πρῶτος Εὔπολις Κόλαξι, δεύτερος Ἀριστοφάνης Εἰρήνῃ, τρίτος Λεύκων Φράτερσι. τὰ δὲ δράματα ὑπεκρίναντο Ἀπολλόδωρος, ὃς ἐνίκα, Ἕρμων, Λεωκράτης. Vix enim crediderim in corrupto nomine λοιοκρότης latere Κλεοκράτης, vel Φιλοκράτης, vel Λακράτης. Sed emendationes meas non minus veras esse, quam lenes sunt, praeter Hermonem, de quo infra dicetur, ostendit etiam aliarum didascaliarum similitudo, veluti ejus, quae apud Boeckhium est Inscriptt. I p. 353. Abs qua noster grammaticus eo tantum discessit, quod tres trium poetarum actores conjunctos nominare maluit, quam verbum ὑπεκρίνατο non sine taedio tribus locis inculcare. Iam vero Dindorfium T. I p. 278 sive II p. 549 sive III p. 536 sive T. IV P. III p. 5 et p. 420 ed. Ox. cum correctione etiam interpretatio usque eo fefellit, ut ab Apollodoro Aristophanis Pacem actam esse dictitaret. Immo Apollodorus in Eupolidis Adulatoribus, in Pace vero Aristophanis Hermo primas egerunt. Ac de Apollodoro quidem et Leocrate Leuconis actore noster tantum grammaticus testimonium dicit, praeterea nemo. Quo magis operae pretium est, de Hermone comoedo, quo de olim pauca dixi in Actis Soc. Graec. Vol. I F. I p. 129, nunc pluribus exponere. Aristophanis versus in Nub. 541 sq. οὐδὲ πρεσβύτης ὁ λέγων τἄπη τῇ βακτηρίᾳ | τύπτει

τὸν παρόντ', *ἀφανίζων πονηρὰ σκώμματα* scholiasta aut ad Eupolidis Prospaltios referri vult, aut ad Hermippi comoediam, quam ne nominavit quidem. Qui ut ad Hermippum aberraret, unicus versus ibidem 557 in causa fuit. At quomodo comoedia, cujus actor notissimus esset, ipsa potuit penitus ignota esse? Tum haec parabasis Eupolideo metro scripta est ipsius Eupolidis causa, qui v. 553 sqq. acerbissime castigatur. Huic rixae primum Equites, id quod in Quaestt. Aristoph. p. 144 et p. 227 ostendi, materiam dederant, tum etiam Pax, cui superiore anno praelati erant Eupolidis Adulatores. Quare versus 537 *ἥτις πρῶτα μὲν* — 543 *οὐδ' ἰοὺ ἰοὺ βοᾷ* in unum Eupolin omnes dicuntur, praesertim quum v. 540 verba *οὐδὲ κόρδακ' εἵλκυσεν* necessario ad Eupolidis Maricam spectent, ut e v. 555 apparet. Itaque verba *οὐδὲ πρεσβύτης* — *σκώμματα* ad Eupolidis Prospaltios referenda sunt,*) id quod recte contenderunt, non demonstrarunt Bergkius Antiq. Com. p. 358 atque Meinekius Fragm. Com. II. I p. 522, quocum cf. Histor. cr. p. 91. In eo tamen hi duumviri falluntur, quod Simermonem Hermippi (ut putant) actorem nostro loco ne dici quidem opinantur. At quin *ὁ λέγων τἄπη* Simermo fuerit, neque dubitatum est unquam, neque potuit dubitari, verissimeque ego in Actis l. l. p. 129 dixi Simermonis personam ad hunc ipsum locum necessario spectare; reliqua enim omnia nihil attinere ad histrionem.

Rursus in eo quum ego ipse l. l. tum Dindorfius III p. 154 erravimus, quod Simermo ita nobis dici visus est utpote actor Hermippi. Immo Simermo tum non Hermippi actor fuit, sed Eupolidis. Quae quum ita sint, Simermo egerat Eupolidis Prospaltios. Nempe scholii pannus, quo omnes varie decepti sumus, hic est in cod. Parisino, *τοῦτό φησι διὰ τὸν Ἕρμιππον καὶ τὸν Σιμέρμωνα τὸν τούτου ὑποκριτήν*. Quantum his nugis tribuendum sit, facile apparebit e schol. Cant. 3 *σιμέρ*—

---

*) Alio loco ostendam, inter Prospaltiorum personas Herculem fuisse, adque adeo Aristophanis verba *τὸν παρόντ'* videri ad Herculem referenda esse.

μνω (sic) τις ἕτερος κωμικὸς κ. τ. λ. Nam Aldinus scholiasta in medio reliquit, utrum Simermo Eupolidis actor fuerit, anne Hermippi. Verba haec sunt, *Οὐ δὲ πρεσβύτης ὁ λέγων: ὡς Εὔπολις ἐν τοῖς Προσπαταλλίοις* (*Προσπαλτίοις*). *ἢ ὡς εἰς τοῦτο τὸ μέρος εὐεπίφορον ὄντα τὸν Ἕρμιππον. οἱ δὲ Σισέρμιον τὸν ὑποκριτήν. Τύπτει τὸν παρόντ' ἀφανίζων: καὶ γὰρ ἐκεῖνος τοῦ γελᾶν χάριν τοὺς ἐγγὺς ἑστῶτας ἔτυπτε τῇ βακτηρίᾳ.* Corrige — *εὐεπιφόρου ὄντος τοῦ Ἑρμίππου. οἱ δὲ εἰς Ἕρμωνα* (sive *εἰς Σιμέρμωνα*) *τον ὑποκριτὴν τὸ „τύπτει τὸν παρόντ' ἀφανίζων." καὶ γὰρ ἐκεῖνος* —. De vitiis Aldinae *Σισέρμιον*, Cantabr. 2 *μέρμνων* Cantabr. 3 *σιμέρμνων* et *σιμέρμνω* recte judicat Hermannus ea forma probata, quae est in cod. Parisino *Σιμέρμων*. Quod autem in Actis l. l. p. 129 *Σιμέρμων* atque *Ἕρμων* unum idemque nomen fuisse statui: id nunc confirmat scholiasta Rav. et utriusque Veneti ad hunc ipsum locum, *τύπτει τὸν παρόντ' ἀφανίζων: τοῦτο εἰς Ἕρμωνα* (*σέρμωνα* V) *λέγει τὸν ὑποκριτήν*. Fortassis Hermo noster in aliqua comoedia per jocum *Σιμέρμων* dictus erat, quod nomen non e *Σίμων Ἕρμων*, ut ego l. l. dixi, sed ut recte Dindorfius IV. I p. 480 e *Σῖμος Ἕρμων* compositum est. Significat autem Hermonem Simo non absimilem, quemadmodum *Αἰολοσίκων* a Libanio Epist. CCCCXX p. 215 *Σίκων* dicitur, Xanthias in Ran. 499 *Ἡρακλειοξανθίας*, Amipsias fortassis ibid. v. 14 *Λυκισκαμειψίας*, Ecphantides apud Cratinum *Χοιριλεκφαντίδης* secundum emendationem Meinekii II. I p. 199, Autoclides apud Timoclem *Ὀρεσταυτοκλείδης*. Ejusdem generis sunt comoediarum tituli apud Grauertum in Museo Rhenano a. 1828 p. 61 *Τιτανόπανες*, *Διονυσαλέξανδρος*, Protesilaodamia, Oedipothyestes, quibus adde Sopatri parodi drama *Εὐβουλοθεόμβροτος*. Non ad comoediam pertinent nomina Panapollo, Hermathena, Hermeracles, Hermeros, Hermopan alia*).

*) Contra latine quum dicitur *Iuno Lucina*, adjectivi vim habet Lucina. In Horati Epodis XVII, 57 pessime habent omnes editiones, *liberi Cupidinis*. At Horatius intelligi vult *Liberum Cupidinem*, quasi graece dicas *Διονυσέρωτα*.

Tum in Actis l. l. recte dixi, hujus ipsius Hermonis, de quo quaerimus, mentionem factam esse a Polluce IV, 88 *Εἰ δὲ δεῖ ἀγλευκεῖ ὄντι* (ita scribendum) *τῷ ὀργάνῳ παραμίξαι γλυκύτητα ἱστορίας — Ἕρμων ἦν κωμῳδίας ὑποκριτής· λαχὼν δὲ μετὰ πολλοὺς — τῇ σάλπιγγι τοὺς ἀγωνιστὰς ἀνακαλεῖν.* Nempe comoedia, quam tum Hermo agebat, ex tribus non prima erat ordine ac sorte (ut Ecclesiazusae v. 1159), verum secunda vel tertia. Sed quum primae comoediae actores improbati essent, Hermo, qui e theatro abierat, citius opinione evocatus et, quum non comparuisset, punitus est. Haec est enim sententia Pollucis, qua non intellecta Kuehnius Hermonem protagonistam temere in tertiarum histrionem mutavit.

Praeterea duae senum personae in nova comoedia nomen habebant *Ἑρμώνειος* et *Ἑρμώνειος δεύτερος* (Pollux IV, 143—145). Quam utramque personam a nostro Hermone actore nomen duxisse suum jam in Actis l. l. p. 129 conjeci, sententia admodum probabili. Profecto enim noster Hermo senes videtur praeclare egisse, quando et in Eupolidis Prospaltiis senilem personam susceperat (Nub. v. 541 *πρεσβύτης ὁ λέγων τᾶπη*), et vero etiam in Aristophanis Pace senem egit Trygaeum (v. 825). Huc accedit, quod Maeson ipse etiam comoediae actor duas novae comoediae personas similiter invenit, quarum altera *θεράπων Μαίσων*, altera *μάγειρος Μαίσων* dicebatur (vide Aristophanem gr. ap. Athen. XIV p. 659 b ibique Schweighaeuserum VII p. 655). Respondit mihi Meinekius Histor. Com. p. 562, incertum esse, an Hermo personarum inventor et comicus histrio pro uno eodemque viro habendus sit, atque adeo frustra quaeri, unde hae personae nomen duxerint. At sententiae meae haudquaquam repugnat locus, quo Meinekius utitur, Etymol. M. p. 376, 48 *Ἑρμώνεια προσωπεῖα οὕτω καλούμενα ποιά, ἀπὸ Ἕρμωνος τοῦ πρῶτον εἰκονίσαντος* —. Nos vero conjecturae addamus conjecturam et, quoniam tempora bene conveniunt, sumamus a nostro Hermone actore comico non diversum fuisse Hermonem Atheniensem,

circitorum aliquando praefectum (Thucyd. VIII, 92 Ἕρμων τις τῶν περιπόλων τῶν Μουνυχιάσι τεταγμένων ἄρχων).

I edit. Meinek.

Eupolidis apud Athenaeum VI p. 236, e locus ab Hermanno atque Porsono egregie correctus est. Sed ignotum istum Oeneum v. 16 fortassis e tenebris eruam. Ac primum Oeneus non justum nomen, sed tantum cognomen fuisse videtur alicujus potoris. Nam fabulosus Oeneus Porthaonis filius rex Calydonis nomen suum duxit a voce οἶνος, de qua re Athenaeus II p. 35 a et b atque Apollodorus Bibl. I, 8, 1 plura dixerunt. Iam vero Eupolis in Civitatibus ap. schol. ad Ranas v. 1561 Porthaonis filium (i. e. Oeneum) fuisse finxit Leucolophidem. Hinc colligere licet, Leucolophidem cognomine Oeneum dictum fuisse utpote potorem. Quodsi Οἰνεῖ recte ad Leucolophidem retuli: sequitur hunc Athenis lorarium vel carceris custodem fuisse. Ceterum hi sedecim versus ad quam fabulae partem pertineant, fugit Meinekium Fragm. Com. II. I p. 485, non item Bergkium De Comoed. p. 340, qui integrum sibi epirrhema agnoscere visus est. Immo est antepirrhema integrum, quod recte incipere potuit ab Ἀλλά. Quin ad hoc ipsum tam abruptum antepirrhematis initium refero locum scholiastae ad Lysistrat. v. 1189, quem recte explicavit Toeppelius. Nempe de parasitorum sive originibus sive aliis rebus iam in epirrhemate sermo fuerat, ut ex oppositione vocis δίαιταν apparet (Ἀλλὰ δίαιταν —). Sic in epirrhemate Vesp. a v. 1071 figura chori et in antepirrhemate a v. 1102 mores victusque describuntur; in iisdem locis Avium a v. 753 et 785 primum leges avium, deinde vita laudantur. Itaque epirrhemata non solum trochaico tetrametro, verum etiam tetrametro choriambico sive Anacreonteo scribebantur. Idem metrum habent Aristophanis ex Amphiareo versus ap. schol. ad Pac. v. 473 et ap. Hephaestionem p. 53, qui uterque locus ex epirrhemate sumtus est, posterior quidem ipsum fuerat initium epirrhematis. Eupolis hoc metro iterum utitur ap. schol. Nub. v. 96 Δεξάμενος δὲ Σωκράτης τὴν ἐπι-

δεῖξιν Στησιχόρου οἰνοχόην ἔκλεψεν et ibidem ad v. 179 Στησιχόρου πρὸς τὴν λύραν οἰνοχόην ἔκλεψεν. Hic genitivum ᾠδῆς excidisse puto,

> Δεξάμενος δὲ Σωκράτης τὴν ἐπίδειξιν [ᾠδῆς]
> Στησιχόρου, πρὸς τὴν λύραν οἰνοχόην ἔκλεψεν.

Socrates, inquit, quum ordine excepisset Stesichori carmen, quod recitaret, ad lyram vas vinarium furatus est. De verbis ἐπιδεικνύναι et ἐπίδειξις vide Casaubonum ad Athen. VI p. 245, e neque ad Thesmophor. p. 626. Scolium a priore conviva coeptum proximus cantor continuare solebat (cf. Vesp. v. 1222—1248 et schol. ibid. ad v. 1222). Itaque prior conviva aliquod Stesichori carmen canere coeperat, quod Socrates lyra sumta continuaret. Hoc est enim δεξάμενος ᾠδὴν Στησιχόρου, sicuti legitur in Vespis v. 1222 τὰ σκόλι' ὅπως δέξει καλῶς. Bene etiam scholiasta haec cum Nub. v. 179 comparat. Nam praeter exspectationem Eupolis quoque dixit πρὸς τὴν λύραν οἰνοχόην ἔκλεψεν pro vulgari πρὸς τὴν λύραν ᾖσεν. Quod autem ego in Quaestt. Aristoph. p. 217 inventum rejeceram, non male tenuit Bergkius l. l. p. 340, qui hos duo versus metri indicio ad antepirrhema (immo epirrhema) Adulatorum refert, id quod Meinekius II. I p. 552 et Grothe De Socrate Aristophanis p. 18 sqq. secuti sunt. Neque enim hi choriambi sunt lyrici. In Ἀστρατεύτοις autem tetrametri anacreontei singuli tantum, non continui legebantur, ut ex Hephaestione p. 100 apparet. Ita fortassis etiam Socrates inter Calliae parasitos relatus erat, de quorum rapinis Eupolis ap. Pollucem IX, 90 mentionem fecit.

V.

Athenaeus VII p. 286, b Βατίς — Εὔπολις δ' ἐν Κόλαξί φησι· „Παρὰ τῷδε (τῷ δὲ C) Καλλίᾳ πολλὴ θυμηδία, ἵνα (κινὰ B; κῖνα P) παρὰ μὲν κάραβοι καὶ βατίδες καὶ λαγῷ καὶ γυναῖκες εἰλίποδες." Idem IX p. 400, b λαγῷ παρ' Εὐπόλιδι ἐν Κόλαξιν· „ἵνα πάρα μὲν (sic optimi libri; deteriores ἵνα μὴ πάρα μὲν) βατίδες καὶ λαγῷ καὶ γυναῖκες εἰλίποδες."

Posteriore loco epitome, *εὔπολις· βατίδες καὶ λαγὼ καὶ γυναῖκες εἰλίποδες*, quae descripserunt Eustathius p. 1534, 15 et grammaticus Hermanni p. 320. „Hunc locum metro Eupolideo scriptum videri jam olim in libro de emend. rat. Gr. gr. p. 26 indicavi. Sed restitui eum posse propemodum desperavi.“ Verba sunt Hermanni in El. D. Metr. p. 581, qui de metro recte judicavit. At nil desperandum. Equidem corrigo,

Παρὰ δὲ τῷ γε Καλλιάδου πολλὴ δὴ θυμηδίας
ἵναπερ ἡμῖν καὶ βατίδες καὶ λαγῷ καὶ κάραβοι
καὶ γυναῖκες εἰλίποδες.

Primo versu *δὴ* etiam Hermannus Dobraeusque ad Nub. v. 518 inseruerunt. Tum si utriusque ex Athenaeo loci scripturas conjunxeris, maximam partem secundi versus restitueris. Ab initio autem hujus versus pro vulgatis *ἵνα παρὰ μὲν* substitui *ἵναπερ ἡμῖν*. Partim verum vidit l. l. Dobraeus, qui secundum versum non tamen sine metri vitio ita constituit,

ἵνα πάρα μὲν καὶ βατίδες καὶ λαγῷ καὶ κάραβοι.

Loquitur chorus parasitorum, qui aliis quibusdam geniis suis ante enumeratis transit nunc ad parasiticam mensam Calliae. Pro verbis, quae insanabilia visa sunt, *Παρὰ τῷ δὲ Καλλίᾳ* metri indicio scripsi, *Παρὰ δὲ τῷ γε Καλλιάδου*, quae nihil aliud significant quam *παρὰ δέ γε τῷ Καλλίᾳ*. Nam noster quidem Callias ab Hipponico patre adeo degeneraverat, ut in Ranis v. 429 Hippobini filius diceretur. Similiter Eupolis morum similitudinem et ipse sequutus nostrae Calliae patrem fuisse finxit Calliadem. Qui jocus hanc quoque habet rationem, quod Athenis paullo ante alius Callias vixerat qui profecto filius erat Calliadis, id quod ex Thucydide I, 61 et Platonis Alcibiad. I p. 119 a intelligitur.

Ceterum ad idem dictorum genus Vesp. v. 1267 *Ἀμυνίας ὁ Σέλλου* aliique loci pertinent. V. 3. Falso Pausanias Eustathii p. 1394, 40 *Παυσανίας δὲ λέγει καὶ γυναῖκας εἰλίποδας διὰ τὴν ἔνδεσιν τῶν μηρῶν* (recte ed. Romana ἔνδεσιν, non ἔνδεσιν, quod frustra corrigit Meinekius Fr. C, II. I p. 489).

At feminalia sive periscelidas honestae quoque virgines gestabant; Eupolis vero de solis loquitur meretricibus. Recte Suidas s. *Μυσάχνη* — *Εὔπολις* (*τὰς πόρνας φησὶν*) *εἰλίποδας· ἀπὸ τῆς εἰλήσεως τῶν ποδῶν τῆς κατὰ τὴν μίξιν.* Utramque explicationem habet Hesychius, *Γυναῖκες εἰλίποδες: διὰ τὴν δέσιν τῶν σκελῶν, καὶ* (scribe *ἢ*) *πλοκὴν τὴν κατὰ τὴν συνουσίαν.* Postremo de hoc Eupolidis loco inutiles sunt conjecturae Dindorfii ad Athenaeum II p. 620 atque Bergkii ad Anacreontem p. 242.

VI.

Photii locum Lex. 404, 16 sic intelligit Meinekius II. I p. 489 et II. II p. 667, Eupolidi tributam esse dictionem *πεζὰς μόσχους*, Cantharo autem *αὐλητρίδα πεζήν.* Immo secundum codicis lectionem unus Cantharus hac utraque loquutione usus est, Eupolis autem neutra: quod quum fieri non possit, codicis scripturam apparet corruptam esse. Scribe transposita tantum *καὶ* particula, *Πεζὰς μόσχους: ἀντὶ τοῦ ἑταίρας* (*ἐλέγοντο γάρ τινες οὕτως, ὡς Ἀριστοτέλης ἐν τῇ Πολιτείᾳ*) *τὰς χωρὶς ὀργάνων, Κάνθαρος Συμμαχίᾳ· καὶ „αὐλητρίδα πεζὴν“ Εὔπολις Κόλαξιν.* Ex quo sequitur, Cantharum (non Eupolin) *πεζὰς μόσχους*, Eupolin vero (non Cantharum) *αὐλητρίδα πεζὴν* dixisse. Aristotelis quidem locus unice spectat ad vocem *μόσχος* de meretrice usurpatam. Tenellae enim meretrices, nuper virgines, ita appellatae sunt, quemadmodum tenerae puellae a poëtis *μόσχοι* (ut in Hecuba v. 205 et v. 526) itemque *πῶλοι* (Hippol. v. 546) dicuntur. Apud Epicratem Aeliani Nat. An. XII, 10 lena pejerat de meretrice, *ὡς δάμαλις, ὡς παρθένος, ὡς πῶλος ἀδμής.* Eaedem latinis poëtis juvencae, velut Horatio Od. II, 5, 6.

XIII.

Etymol. Gud. p. 116, 47 *Βρυγμός: ἡ σύντομος ἐδωδή. Εὔπολις·*

Ὅσος ὁ βρυγμὸς καὶ κοπετὸς ἐν τῇ στέγῃ.

παρὰ τὸ βρύχω, ὃ σημαίνει τὸ ἐσθίω, ὡς νύσσω οὖν νυγμὸς, βρύκω

βρυγμός. Recte particulam addit Meinekius, "Οσος δ' ὁ βρυγμὸς —. Tum et Etymologus et Phrynichus Bekkeri p. 30, 28 scripserant, ἡ σύντονος ἐδωδή. At κοπετὸς nihil aliud quam planctum significat. Ergo vim vocis βρυγμὸς non intellexit grammaticus, temere confusis verbis βρύκειν et βρύχειν, de quorum discrimine exposuerunt Hermannus ad Philoctetam v. 745, intpp. ad Moerin p. 99 sqq., Valckenaerius ad Ammonium p. 32. Hoc dicit Eupolis: quantus est fremitus et quanta lamentatio in aedibus! Sed vir eximius quum II. I p. 8 et p. 492 grammaticum de voce βρυγμὸς dicentem audisset, error traxit errores, alterum de nova significatione verborum κόπτω et κοπετός, alterum de comoedia, hujus fragmenti sede, quae plane est incerta. Nempe operi longo —.

XX.

Hos versus, qui exstant apud Pollucem X, 10, quum ad Arist. Ranas p. 217 diligenter pertractaverim, hoc tamen adjiciam, dubitasse me jam tum atque etiamnum dubitare, an posterior versus paullo aliter scribendus sit,

Παρακλήσι' ὄντως σοι γέγραπται τἄπιπλα.

Προειπὼν — ἐπήγαγε saepius ita dixit Pollux, veluti X, 41. Tum operae pretium fuerit contulisse e testamento Platonis apud Diog. Laert. III, 43 *σκεύη τὰ γεγραμμένα.* Postremo quaeritur, quid sit, quod Calliae supellex de scripto recitetur. Cujus rei causam nescio an colligere liceat ex Athenaeo, qui V p. 218, c de hac ipsa comoedia sic loquitur: *πρόσφατον γάρ τινα τοῦ Καλλίου τὴν παράληψιν τῆς οὐσίας ἐμφαίνει τὸ δρᾶμα.*

XXV.

Dixi in Quaestt. Aristoph. p. 202, quum Choeroboscus Bekkeri p. 1196 ex Adulatoribus haec attulerit, *θὲς νῦν ἀγροὺς καὶ πρόβατα καὶ βοῦς*, simillima Eupolidis verba apud Phrynichum Bekkeri, p. 17, 30 *ἵππον κέλητ' ἀσκοῦντα θὲς* ad eam-

dem et comoediam et partem comoediae necessario referenda esse, idque placuerat jam Runkelio p. 171. Nunc judicium meum a Meinekio p. 497 confirmari gaudeo, etsi in re levi dissentimus. Nam vir egregius Choerobosci locum Phrynicheo praeponit; ego vero arbitror θὲς antecedere, θὲς νῦν autem (non θές νυν) sequi debere. Vide Aristoph. Eqq. v. 21 v. 22 v. 24, Ran. v. 286 v. 287 et Eupolin apud ipsum Meinekium p. 540. Quodsi, ut Meinekio videtur, utrumque fragmentum arcte connectendum est (de quo ipso valde dubito), saltem ordo verborum hujusmodi esse debebit,

Ἵππον κέλητ' ἀσκοῦντα θὲς, θὲς νῦν ἀγροὺς
καὶ πρόβατα καὶ βοῦς.

Praeterea utrobique obscura est significatio Imperativi θές, quem nunc ita interpretor, praemii loco propone. Videtur enim Callias τὸν ἀθλοθέτην alloqui, qui adulatorum certamini praemia statuat. Ita Callias castigabitur ob inauditam opum effusionem. Huic enim explicationi favent verba Maximi Tyrii de hac ipsa comoedia XX, 7 — ὅπου τῆς κολακείας τὸ ἆθλον ἦν κύλικες κ. τ. λ.

X.

Recte negat Toeppelius, versum Ἔνδοθι — Τήϊος, quem unum ex Adulatoribus protulit Diogenes L. IX, 50, cum fragmento Eustathii p. 1547, 53 ordine perpetuo conjunctum fuisse, sicut multi opinantur auctore Porsono in Adversar. p. 75. Nam in convivarum enumeratione ita potius Graeci loquuntur, Ἔνδοθι μέν ἐστι Πρωταγόρας, ἔνδοθι δὲ καὶ ὁ δεῖνα: in interrogatione autem, cui et ipsi convenit μὲν conveniuntque similes loci Acharn. v. 370, Theocrit. XV, 1, Lucian. Asin. c. 2, non magis haec verba se excipere possunt, Ἔνδοθι μέν ἐστι Πρωταγόρας ὁ Τήϊος; | ὃς ἀλαζονεύεται —. Illos autem trimetros Ὃς ἀλαζονεύεται μὲν ἀλιτήριος | περὶ τῶν μετεώρων, τὰ δὲ χαμᾶθεν ἐσθίει unus Eustathius habet l. l. praefatus, Eupolidis versus esse in Protagoram physicum. Non male igitur idem

Porsonus conjecit, hos quoque duo versus ex Adulatoribus potissimum sumtos videri. Rursum Porsonus l. l. et ad Plut. v. 965 in eo falli videtur, quod collato Achille Tatio Isag. ad Arati Phaen. init. p. 121 ed. Petav. ὁ κωμικὸς Ἀριστοφάνης, ὅς τἀφανῆ μεριμνᾷ, τὰ δὲ χαμόθεν ἐσθίει, φησίν, Aristophani versum tribuit hoc exemplo, Ὃς τὰ μὲν ἀφανῆ μεριμνᾷ, τὰ δὲ χαμᾶθεν ἐσθίει. At quum verba ὅς τἀφανῆ μεριμνᾷ manifesta paraphrasis sint illorum ὅς ἀλαζονεύεται περὶ τῶν μετεώρων, non dubito, quin Achilles Tatius eos ipsos versus, qui apud Eustathium leguntur, unice in animo habuerit. Qui quum negligentiae manifestus teneatur, probabilius videtur, hos versus, ut Eustathius vult, Eupolidis esse quam Aristophanis. Verba extrema τὰ δὲ χαμᾶθεν ἐσθίει Toeppelius bene refert ad edacitatem Protagorae. Cf. Callimacheum vocabulum γηφάγος apud Hesychium s. Γηφάγοι, Bekk. Anecd. p. 232, 17, Etymol. M. p. 221, 51.

XI.

Hos versus ita scribit Plutarchus Sympos. VII, 1 Πίνειν γὰρ ὁ Πρωταγόρας ἐκέλευεν, ἵνα | πρὸ τοῦ κυνὸς τὸν πλεύμον' ἔκλυρον φορῇ. Priorem eodem modo legit Macrobius Sat. VII, 15, in altero autem habet — τὸν πνεύμον' ἔκλυτον φορῇ. Quocum consentiens Athenaeus Epit. I p. 22, f. Εὔπολίς τε, inquit, τὸν Καλλίαν φησὶν ἀναγκάζεσθαι ὑπὸ Πρωταγόρου

πίνειν, ἵνα
πρὸ τοῦ κυνὸς τὸν πνεύμον' ἔκλυτον φορῇ.

Ac priorem quidem versum VV. DD. Grotio auctore ita constituunt, Πίνειν γὰρ αὐτὸν Πρωταγόρας ἐκέλευ' ἵνα, elisione parum attica. Nam ἐκέλευσ' ἵνα scribere Eupolis potuit, ἐκέλευ' ἵνα non potuit. Immo corrigendum est verbis transpositis tantum, non mutatis, Ὁ Πρωταγόρας ἐκέλευε γὰρ πίνειν, ἵνα —, praesertim quum Athenaeus voces πίνειν ἵνα conjunxerit. Nam ordinem verborum librarii turbarunt particulae γὰρ collocatione offensi, quam post alios satis de-

fendi in Quaestt. Luc. p. 100. Deinceps ἔκλυρον non solum Plutarchus legit, verum etiam Hesychius s. Ἔκλυρον. Ceterum ἔκλυρος (humidus) barbarum planeque nihili esse recte statuit Meinekius. Propius a vero abest Athenaei Macrobiique lectio ἔκλυτον. Falso tamen Reiskius ἐκκλυστον conjecit. Equidem vix dubito, quin reponendum sit ἔκκλυτον verbum plane atticum, quo Aeschylus, Plato aliique utuntur. Ita gradus corruptionis hi potissimum fuerunt, πνεύμον' ἔκκλυτον φορῇ | πνεύμον' ἔκλυτον φορῇ | πνεύμον' ἔκλυρον φορῇ. Totum igitur locum ita restituo,

> Ὁ Πρωταγόρας ἐκέλευε γὰρ πίνειν, ἵνα
> πρὸ τοῦ κυνὸς τὸν πνεύμον' ἔκκλυτον φορῇ.

XV.

In codicibus Pollucis IX, 59 haec leguntur, Ἡ μνᾶ δὲ εἶχεν ἡ Ἀττικὴ δραχμὰς ἑκατὸν, ὡς ἀκριβέστατά ἐστιν ἐν τοῖς Εὐπόλιδος Κόλαξι „Δεῖπνον θὲς ἑκατὸν δραχμὰς ἰδού," εἶτα ἐπιφέρει κόλαξιν „οἶνον θὲς ἑτέραν μνᾶν·" δῆλον, ὅτι καὶ τὰς ἑτέρας ἑκατὸν δραχμὰς μνᾶν εἴρηκε. Quae cum levi quadam varietate descripsit scholiasta Luciani T. VI p. 380 Lehm., sive IV p. 178 Iacob. Iungermannus dativum κόλαξιν altero loco conjecit delendum esse, invitis Pollucis libris, invito scholiasta. Saltem conjecisset praeterea, ne oratio hiaret, δῆλον οὖν, ὅτι —. At enim barbari isti accusativi δεῖπνον atque οἶνον Pollucis sunt, non Eupolidis. Nempe mutilatum esse hunc locum censeo et iis fere verbis, quae uncis inclusi, explendum, Ἡ μνᾶ δὲ εἶχεν ἡ Ἀττικὴ δραχμὰς ἑκατὸν, ὡς ἀκριβέστατά ἐστιν ἐν τοῖς Εὐπόλιδος Κόλαξιν. [ὅταν γὰρ εἴπῃ φέρων κόλαξι] δεῖπνον· „θὲς ἑκατὸν δραχμάς. B. ἰδού," εἶτα ἐπιφέρων κόλαξιν οἶνον· „θὲς ἑτέραν μνᾶν," δῆλον, ὅτι καὶ τὰς ἑτέρας ἑκατὸν δραχμὰς μνᾶν εἴρηκε. Sic enim loqui solet Pollux, veluti paullo post IX, 69 init. Coquus autem sive servus haec dicere videtur, respondente et pecuniam solvente Callia.

XIV.

Prior Eupolidis versus apud Athenaeum VII p. 328, b hic est, *Δραχμῶν ἑκατὸν ἰχθῦς ἐωνημένος μόνον* (Laurentianus *ἐωνημένοι μόνον*). Conjecturae Porsoni *ἐώνημαι μόνον* et Iacobsii *ἐωνήμην μόνον* probari non possunt, quum facilior certiorque emendatio in promtu sit. Scribe *μόνον ἐωνημένος*, voce *μόνον* praeposita,

Δραχμῶν ἑκατὸν ἰχθῦς μόνον ἐωνημένος,
ὀκτὼ λάβρακας, χρυσόφρυς δὲ δώδεκα,

et compara Pluti v. 7. Accedit, quod verba *ἰχθῦς μόνον* apte conjunguntur, ita ut Callias vel coquus centum drachmis dicatur pisces tantummodo emisse, non coenam universam (*δεῖπνον*). Nam de hac ipsa coena Eupolis Pollucis IX, 59 hisce verbis usus erat, *θὲς ἑκατὸν δραχμάς*. — Ceterum pluralis numerus Laurentiani *ἐωνημένοι* vix cuiquam placebit, sive haec verba coquo tribuenda sunt, ut Meinekius p. 492 statuit, sive ipsi Calliae, ut placere videtur Töppelio.

XIX.

Cum hoc loco, qui est apud Pollucem IX, 90, alium confero ejusdem scriptoris X, 90, in quo vulgata lectio ferri non potest, quum vox *χειρόνιπτρον* non in Adulatoribus exstiterit, sed in Demis teste Athenaeo IX p. 408, d, qui etiam verba prorsus alia fuisse ostendit. Vulgata enim lectio haec est, *Καὶ χέρνιβα δὲ καὶ λέβητες καὶ πρόχους καὶ χερνίβιον ἀναγκαῖα καὶ ταῦτα ἐκ τῆς παρ' Ὁμήρῳ χρήσεως „Χέρν. — ἔχουσα"* (Il. ω, 304). *ῥητέον δ' αὐτὸ καὶ χειρόνιπτρον, Εὐπόλιδος εἰπόντος ἐν Κόλαξι, „Φροῦδον τὸ χειρόνιπτρον·" οἷς ἐπακτέον καὶ σπόγγους κ. τ. λ.* Emendatius libri Parisini apud Meinekium ad Eupolidem p. 574: *ῥητέον δ' αὐτὸ καὶ χειρόμακτρον, Εὐπόλιδος εἰπόντος „Φροῦδον τὸ χειρόμακτρον" κ. τ. λ.* At isto modo et *αὐτο* inepte dictum est et *χειρόνιπτρον* male deletum.

Accedit, quod Kuehnii codex A mediis omissis haec continuat, *χέρνιβον (χερνίβιον) ῥητέον δὲ καὶ χειρόνιπτρον*, prorsus ut verba *χερνίβιον* et *χειρόνιπτρον* copulavit Athenaeus in simillimo loco IX p. 408, d. Tum ipse Pollux *χειρόνιπτρον* et *χειρόμακτρον* plane junxit II, 150, paene junxit VI, 92 sq. similiter atque Athenaeus l. l. et paullo post p. 410, b. Postremo in codd. Parisinis male deest illud *ἐν Κόλαξι*, quod tuetur etiam unius codicis scriptura, *ῥητέον δὲ ἂν καὶ χειρόνιπτρον, εἰπόντων* (supra ος a m. sec.) *Εὐπόλιδος ἐν Κόλαξι, Φρ.* Nempe et Parisini libri recte habent *χειρόμακτρον*, et alii codices non minus recte loco tantum alieno *χειρόνιπτρον*. Corrigo enim, *Καὶ χέρνιβα δὲ καὶ λέβητες καὶ πρόχους καὶ χερνίβιον καὶ χειρόνιπτρον, ἀναγκαῖα — ἔχουσα. ῥητέον δὲ καὶ χειρόμακτρον, Εὐπόλιδος εἰπόντος ἐν Κόλαξι „Φροῦδον τὸ χειρόμακτρον." οἷς ἐπακτέον κ. τ. λ.* Ut in Nubibus v. 709 de furto dictum est *φρούδη δ' ἐμβάς*, ita parasiti fortitan mantile furati erant. Ceterum Eupolideam vocem *χειρόνιπτρον* a recenti quodam grammatico Aristophani male tributam esse e Polluce VI, 92 intelligi poterit.

XXI.

Assentior Meinekio, *ἡ τύλη* pariter atque cognatum et geminum *ὁ τύλος* apud antiquiores quidem poëtas penultimam corripuisse. Quanquam nihil efficitur Eupolidis senario, qui esse poterat hujusmodi, ⏑ — *κεκρύφαλοί τε καὶ τύλαι* ⏑ —. Sed uti licebat verbo *ἐντυλίσσειν*, cujus secunda corripitur, et Antiphanis verbis ap. Pollucem VII, 192 *στρώματα, κλίνας, καινὰς τύλας*. Quae transposita et corrupta exstant in ejusdem libro X, 40 *τὰς τύλας, στρώματα, κλίνας*. Hic quoque scribo *καινὰς τύλας*, quo nihil aptius est, ut in *Δημιοκράτοις* Pollucis X, 39 *κνέφαλλον καινόν*. Iam etsi vix dubito, quin hic versus fuerit anapaestus, facile tamen *τὲ* inserto prosodiam restitueris, *Στρώματα, κλίνας, καινάς τε τύλας*. Ceterum non debebat vir egregius *παρὰ Σοφοκλεῖ ἐν τῷ Ἰοβάτῃ* conjicere apud Pollucem X, 39 *καὶ τύλη* (ita codices; vulgo *τυλεία*)

δὲ παρ' Εὐπόλιδι ἐστιν ἰάζοντι ἐν τοῖς Κόλαξι· καὶ παρὰ (unus codex ἀλλὰ καὶ παρὰ) Σοφοκλεῖ ἐν τῷ Ἰοκλεῖ λέγοντι· „ἀλλὰ καὶ λινοῤῥαφῆ τυλεῖα.“ Tu collato ipso Polluce VII, 192 Σοφοκλῆς δ' ἔφη „λινοῤῥαφῆ τυλεῖα“ nostrum locum ita corrige, — Κόλαξιν· ἀλλὰ καὶ τυλεῖα παρὰ Σοφοκλεῖ ἐν τῷ Οἰκλεῖ λέγοντι „λινοῤῥαφῆ τυλεῖα.“ Nam in Pausania, Apollodoro, aliis pro justa forma Οἰκλῆς plerumque aliquot codices dant Ἰοκλῆς, fallente diaeresi Ὀϊκλῆς. Ergo in Polluce omnium librorum scriptura ἐν τῷ Ἰοκλεῖ profecto nihil aliud est nec potest esse, quam hoc ipsum nomen ἐν τῷ Οἰκλεῖ. Iam quod Heynius ad Apollodorum II, 6, 4 p. 183 scripsit, fuisse etiam fabulam Sophoclis Oiclem, id haud dubie ex hoc ipso Pollucis loco recte collegerat. Nuper demum alterum accessit testimonium scholiastae ad Eqq. v. 496, quo in loco bene edidit Dindorfius, παρὰ τὸ Σοφόκλειον ἐξ Οἰκλέους. Pro Οἰκλέους Aldina habet Ἰολάου, Venetus dicitur habere ἰολέους, vere autem habet, nisi fallor, ἰοκλέους. Denique in Hesychio s. Χερσεύει codex

οι ει
a prima manu dat Σοφοκλῆς ἰονι. Hic Musurus Σοφοκλῆς Ἴωνι, Schowius et Dindorfius Σοφοκλῆς Οἰνεῖ conjiciunt. Ego vero hic quoque scribere malim Σοφοκλῆς Οἰκλεῖ.

Pag. 11, l. 6 a fine corrigas τίλλεται.

LIPSIAE EX OFFICINA C. P. MELZERI.